



~~II 42.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

II 221.

SIGNAT. CLVCCCXIII.

2 4





BIBLIOTHECÆ 4

&  
CYNOSURÆ

Peregrinantium,

LIBER QUARTUS

& Ultimus

*Partis Posterioris,*

in quo

Primum Precationes, deinde

Hymni Apodemici conti-  
nentur,

à

DAVIDE FROELICHIO,

Sac. Cæs. Rq; Majest. per Regnum  
Hungariæ Mathematico.

1690

VLMÆ,

Impensis VVOLFGANGI ENDTERI,

Exscripsit literis BALTHASAR Kuhn  
Reipubl. ibid. Typographus.

---

ANNO M, DC. XXXIV.



BIBLIOTHECA

CYNOSURAE

Regnum

LIBER QUINTUS

& Vltimus

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum

Primum

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum Praedicatione & deinde

Primum







MAGNIFICO,

*Speḱtabili, Generis splēdore,  
Virtutis, Sapientie, variaꝝ experien-  
tie laude Amplissimo*

DOMINO

NICOLAO PAHL,  
Florentissimæ Reipublic.  
Gedanensis Consuli gravis-  
simo & Administratori  
summo &c.

*Domino Medico suo  
suspiciendo,*

DAVID FRÖLICHUS

S. D.

**C**ollaturus me ad ce-  
leberrimū hunc mo-

VIII.

) 2

rem,



rem, quo omnes, qui unquam Lucubrations suas in lucem dedere, Virum eximium, eligere solent, cui, velut Patrono ac Promotori illas inscribant, dicentque: cumque huc atque illuc in tanta, proh dolor! Mecænatum raritate multum diuque circumspicerem, cui & ego meæ *Bibliothecæ sive Cynosuræ Peregrinantium Colophonem sacrum* consecrarem, præ cæteris Musagetis  
Spe-



un-  
suas  
um  
ent,  
ro-  
de-  
nuc  
roh  
ri-  
cir-  
go  
ro-  
ra-  
tis  
e-

Spectabilis Magnificentia  
Tua mihi occurrit: siqui-  
dem ea de affectu liberali  
erga literas & literatos, ut  
& peritiâ Apodemicâ,  
mihi à plurimis annis plu-  
rimum commendata est.  
Proinde *S. M. T.* obser-  
vanter oro, munus hocce  
sacrum religiosè suscipiat,  
ac studiorum meorū eam  
habeat rationem, quam  
*S. M. T.* generosus ani-  
mus, & spes gratitudinis  
non deceptura dictabunt.  
Hisce



Hisce *S. M. T.* cuncta fau-  
sta precor, infesta depre-  
cor. Exarab. Cæsareopoli  
Pannoniæ, in finibus Po-  
loniæ, ad radices Carpathi  
13. Jun. Anni à Nativ. Chri-  
sti 1644.

PRECATI-





## PRECATIONES DEVO- TISSIMÆ,

*In gratiam Peregrinantium ex pro-  
batis Authoribus collectæ.*

### *1. Precatio ingressuri iter.*



Eus, qui filios Israël, per maris me-  
dium, sicco vestigio ire fecisti, qui-  
que tribus Magis iter ad te, stellâ  
duce, pandisti. Tribue nobis, qua-  
sumus, iter prosperum, tempusq;  
tranquillum: ut Angelo tuo san-  
cto comite, ad eum, quo pergimus,  
locum: ac demum, ad æternæ salutis portum, per-  
venire valeamus Amen.

### *2. Oratio Peregrinantis.*

Omnipotens Deus, in nomine tuo me commit-  
tam itineri, & invocatione misericordiæ tuæ, insti-  
tutam hanc profectionem suscipiam. Tu enim es  
Deus noster, qui introitum & exitum nostrum cu-  
stodis, & pedes nostros in viâ planâ dirigis, ne un-  
quam aberrant. Oro, digneris mihi sanctos An-  
gelos tuos comites concedere, illisque mandare:  
ut custodiant me in omnibus viis meis, meq; per  
viam

Aaaa 2

viam

TI-





viam rectam deducant eum in locum, quo tendo. Me etiam sanum atq; incolumem in patriam meam dulcissimam, iusto tempore reducant: quemadmodum Tobias junior in Raches Medorum deductus ab Angelo Raphaelē, & reductus fuit. O Domine Deus, pedes meos custodi, ne labantur, aut cadendo, aut offendendo, aut improvida itinione impingant: Et ne in periculum aquæ, aut in latronum & raptorum manus incidam: A fœtarum, & ab omni tum corporis, tum animæ periculo, clementer me protege, Homines mihi probos concede, qui hospitium & cætera misericordiæ opera mihi præbeant. Da, ut negotia mea benè & utiliter expediam, tuaq; favente gratiâ, cum gaudio tandem domum revertar. Ad sis in omnibus viis meis, quemadmodum ipsi Jacob Patriarchæ adfuisti, in Mesopotamiam proficiscenti, & quemadmodum eidem in Ægyptum abeunti, dixisti: *Ego descendam tecum illuc, & inde adducam te revertentem* Et quemadmodum Israelitas per mare rubrum invium deduxisti, ipsisq; interdium columna nubis, noctu vero columna ignis præfuisi: Ita etiam mihi adesse, mihiq; præire in totâ hac peregrinatione meâ, me hinc inde deducere, protegere atque defendere, & tanquam fidelis itineris dux, nunquam à me recedere digneris. Sis tu mihi comes & custos. In manus tuas commendo corpus & animam, possessiones meas, & quicquid demum ad me pertinet. Concede, ut omnes meos bene valentes, sanos & incolumes, absq; detrimento & damno reperiam, per Iesum Christum, filium tuum, Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia secula seculorum

Amen.

3. Be-



3. *Benedictio Matutina.*

Domine coelestis Pater, æterneque Deus, benedicta sit Majestas tua divina, & omnipotentia laudetur infinita bonitas & misericordia tua, celebretur sapientia tua æterna & veritas, quod periculosa hac nocte manu tuâ protegere, & sub umbrâ alarum tuarum me secure quiescere atq; dormire dignatus sis: tum etiam, quod contra perniciosum hostem, & ab omnibus imposturis atq; insidiis me custodire atq; paternè defendere volueris. Idcirco ob bonitatem tuam te laudo, & ob mirabilia, quæ fecisti filiis hominum, laudem tibi in Ecclesiâ dicam: laus tua semper erit in ore meo: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vitâ meâ, psallam Deo meo, quam diu fuero. Nunquam obliviscar benefactorum tuorum, quæ præstitisti mihi. Placeat itaque nunc tibi hostia oris mei, quam manè tibi in simplicitate cordis offero. Ex intimo cordis affectu te invoco, digneris me hodiè ab omni cum corporis, tum animi periculo defendere, & Angelis tuis mandare, ut custodiant me in omnibus viis meis. Arce hostem pestiferum, & omnia hujus mundi scandala repelle. Carnem etiam & sanguinem meum compesce, ne ab his victus, graviter contra te delinquam, teque peccatis meis offendam. Spiritu tuo sancto me regas atque confirmes, ut nihil proponam, faciam, loquar, aut cogitem aliud, quam quod tibi placeat, & divinæ majestatis tuæ gloriam concernat. En, totum me tibi hodie voluntariq; tuæ & corpore & animo, sanctis tam corporis, quam animæ viribus offero, consecro atque devoveo; sim puriter possessio tua, nihil prætera aliud sciam. Manè, ò Domine! ò Domine! vocem meam exaudies,



#### 4 PRECATIONES ET HYMNI

manè astabo tibi & videbo, manè te laudabo, & vesperi non deficiam, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

##### 4. *Benedictio Vespertina.*

O Sanctissima Trinitas, in una eademque divina essentia, vita es mea, salus & perpetua consolatio. Tibi ore & corde laudes & gratias dico, quod hodierno die me clementer protexeris: oro divinam bonitatem tuam, ut omnes iniquitates meas contegere velis: potissimum autem quodcumque hodie contra te, & sancta mandata tua lingua mea, inutilibus verbis, detractatione, aut aliquo quovis modo peccavi, & futuram hac nocte, me etiam conservare digneris ab omni periculo ac damno. In te siquidem solo confido, tu Dominus & Deus es meus, in manus tuas commendo corpus & animam meam. Benedicat itaque nunc me divina majestas, protegat me sancta Trinitas, & conservet me sempiterna unitas, tueatur me ineffabilis bonitas, exhilaret me infinita dulcedo: contegat me suprema Veritas Dei, confirmet me profunda cognitio Christi: custodiat me infinita bonitas Domini. Gratia patris me regat: reficiat me Sapientia Filii: illuminet me Virtus Spiritus Sancti. Succurre mihi creator meus, adjuva me redemptor meus: Consolator meus fer mihi opem: Benedicat mihi Dominus, & custodiat me, ostendat Dominus faciem suam mihi, & misereatur mei: Convertat Dominus vultum suum ad me, & det mihi pacem. Hæc protectio & unius ac sempiternæ Dietatis invocatio sit hodie, & omnibus diebus inter me, & omnes inimicos meos, visibiles & invisibiles, ne occidere vel lædere me valeant. Quemadmodum columna nubis stetit



tit inter castra Ægyptiorum & castra Israël, ita, ut ad se invicē accedere non valerent, quo filiis Israel nihil mali evenire posset. Ita inter me & omnes inimicos meos murus igneus & interstitiū esse digneris, ne me contingant. Conserva me etiam extremā horulā vitæ meæ, quando oculi mei non videbunt, nec aures audient, nec lingua mea amplius loquetur. Quando etiam manus meæ nihil apprehendere, aut pedes non amplius incedere poterunt. Tunc mihi succurre Superbenedicta Trinitas, ne dæmon aliquid in me loci & potestatis inveniat Amen.

5. *Brevior Precatio Vespertina ituri cubitum.*

Omnipotens, sempiternus Deus, gratias tibi ago, quod me hodie per gratiam tuam ab omni malo custodire dignatus es. Obsecro te vero, ut quicquid hac die cogitando, loquendo, vel operando peccavi, per passionem & mortem tuam, digneris mihi homini peccatori clementer indulgere. Et in posterum ab omni corporis & animæ periculo custodire, ut incolumis ad laudandum nomen tuæ majestatis exurgam, tibi que puro corde, ac casto corpore, cum gratiarum actione lætus servire valeam. Amen.

6. *Discipuli pii Precatio quotidiana.*

Omnipotens, æterne, vere, vive Deus, pater celestis, qui dixisti, *Invoca me &c.* Ego te in nomine & fiduciā Christi, Pontificis nostri invoco & peto; miserere mei, & remitte mihi peccata mea propter filium tuum, quem solum pro me & toto genere humano mediatorem & deprecatorem esse voluisti. Rege & juva me Spiritu tuo sancto, ut nihil cogitem, dicam, aut faciam, nisi quod ad

Aaaa 4

tui



6      *PRECATIONES ET HYMNI*

tui nominis laudem & ad proximi mei salutem spectet. Largire mihi ingenium felix & docile, doctrinæ avidum, sapientiæ capax, memoriam firmam, iudicium perspicax. Benedictus tu Iehova Domine, doce me edicta tua. Nisi enim tu doctor & magister mihi fueris, planè nihil effe-  
 ro. Aperi labia mea Domine, ut annuntiem lau-  
 dem tuam. Domine fac, quæso, ne frustra labo-  
 rem in studiis; ne frustra parentes sumtus mei  
 causâ faciant; ne frustra præceptores se in me  
 erudiendo fatigent. Benedic etiam parentibus  
 & præceptoribus meis, & cumula illos præsentis  
 & futuræ vitæ bonis omnibus. Defende & con-  
 serva pios magistratus, honestas respublicas, & fa-  
 milias, quæ præbent hospitia Ecclesiæ tuæ, & li-  
 terarum studiis. In his exaudi me Deus, ð Pater  
 misericordiæ, per Dominum nostrum Iesum Chri-  
 stum, qui dixit: *Quicquid roga veritis patrem in no-  
 mine meo, dabit vobis.*

7. *Aliud votum Scholastici Christiani quo-  
 tidianum.*

Domine Iesu Christe, duc me per Spiritum tu-  
 um in omnem veritatem, da ut quotidie me ipso  
 fiam melior, da ut proficiam in doctrina simul &  
 vitæ innocentia. Da ut nihil animo cogitem, ni-  
 hil corde desiderem, nihil manibus aut pedibus  
 aggrediar, quod tibi non probetur. Ut, si me ad  
 munus docendi in Ecclesia vel Scholis, vel etiam  
 ad partes aliquas administrationis rei vel publicæ  
 vel familiaris aliquando vocaveris, ut, inquam,  
 tum & sanctificationi nominis tui divini, & mei  
 aliorumque instaurationi ac salutem, summâ fide &  
 vigilantia serviam. A te enim uno hæc omnia da-  
 ri & conservari necesse est. Tibi sit laus, honor  
 &



A P O D E M I C I .

& gloria, in omnem seculorum omnium aeternitatem. Amen.

8. *Alia Precatio Scholastici.*

Domine, qui fons es sapientiae omnis & doctrinae, quando, pro singulari tua bonitate, hoc mihi praestas, ut bonis artibus imbuatur haec mea Juventus, quae mihi ad sanctè honesteque vivendum sint adjumento: mentem quoque meam, quae caecitate alioqui laborat, illustrando, simul effice, ut ad percipiendam doctrinam fin idoneus, memoriam quoque meam confirma, ne illa mihi excidat: cor denique meum governa, ut ad proficiendum voluntarius atque etiam avidus accedam, ne mihi haec, quam tu nunc concedis facultas, mea ignavia pereat. Proinde Spiritum in me tuum infunde, Spiritum, inquam intelligentiae, veritatis, iudicii ac prudentiae, ne successu studium meum careat, & irritus sit erga me magistri labor. Porro, quodcumque studii Genus suscipiam, fac ut illud in rectum finem destinare meminero: nempe, ut te in Christo Filio tuo cognoscens, plenam salutis & vitae fiduciam in tua gratia collocem, teque vero & accepto tibi obsequio, colam: atque ita, quicquid addiscam, mihi sit ad rectam pietatis regulam adminiculo. Ad haec cum humiles sapientiam, rectos corde notitia tui illustraturum te promittas: superbos vero & improbos dejecturum te denunties, ut in sensu suo evanescant: peto ut me ad veram humilitatem formare velis, qua me tibi primum, deinde etiam iis, qui mihi tua auctoritate praesunt, docilem & obsequentem exhibeam. Insuper, ut cordi meo, evulsis inde vitiosis cupiditatibus, serium quaerendi tui desiderium insculpas: quo me jam nunc praeparem, ad serviendum tibi



in eo vitæ genere, quod mihi cum adolevero, confitues. Fac me voti compotem, Pater misericordiæ, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

9. *Adolescentis.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui pura es, casta, immaculata & sempiterna essentia: Continentes tibi gratæ sunt mentes, & conversatio pia. Oro, digneris in me cor mundum creare, à desiderio pravo, à scortatione, & ab omni impuritate me protege. Concede ne me species alienæ delectent, & ne voluptatibus carnis irretiar, ut cum hominibus impuris vivam, aut alioqui in dedecus, & ignominiam incidam. Carnalia in corde meo desideria supprime, ut faciem meam à virgine & muliere compta avertam, & ne levium ac immodestorum hominum societati jungar, ut ad commestationes, aut ad ebrietatem deveniam, unde luxuria oriri solet. Multiloquium, garrulitas, turpia scurrilia, & inania verba, turpitudine aut stultiloquium sint procul à me. Protege me ab omni fastu, ocio, & desidiâ, ut puta à laqueis diaboli. Conserva me à quovis irritamento, locis & causis, quæ occasionem & incitamentum impuritatis præbere possent, ne ex membris Christi, meretricis membra efficiam; sed fac, ut tibi pura conscientia, immaculato corpore, quemadmodum modestus & continens Ioseph in Ægypto, serviam. Et, si me aliquando, juxta divinam voluntatem & beneplacitum tuum, ad sanctum matrimonii statum vocare dignatus fueris, succurre, ut in timore tuo, non curiositate, aut incontinentia commotus, arripiam, sed ob divinam ordinationem tuam, ut sanctificetur nomen tuum, & tam  
in



in hac, quam in futura vita, honore ac laude illustretur. Amen.

10. *Pædagogum & Præceptoris pro auxilio divino in officio suo recte obeundo.*

Optime, omnipotens & benignissime Iehova, qui provinciã & officium mihi imposuisti, ut hisce pueris & adolescentibus recte & comode præsim; agnosco, me, licet annis grandiore, tamẽ sapientiã & iudicio prorsus puerũ esse. Tuum igitur est, qui officium hoc imposuisti, ea etiam largiri, quæ ad illud rectè administrandum conducunt. Absque enim sapientia à te concessa, juvenus hæc rectè gubernari & in officio contineri nequit. Sapientia autem vera & salutaris à te uno proficiscitur & peti debet. Da igitur servo tuo cor intelligens, & donorum tuorum capax, ut rectè regat juventutem istam, & inter bonum & malum iuste discernat. Quis enim sine tuo auxilio muneri tam arduo par esse queat? Tibi sit laus & honor in omnem seculorum omnium æternitatem. Amen.

11. *Generales pie vivendi regulæ.*

Quolibet die morti, iudicio & æternitati magis appropinquas, cogita ergo quolibet die, quomodo in mortis & iudicii severa discussione consistas, & quomodo in æternum vivas. Omnium cogitationum, verborum & actionum accurata cura habenda, quia de omnibus cogitationibus, verbis & actionibus olim accurata ratio reddenda. Mortem hac nocte instare cogita, tempore vespertino, mortem hac die instare cogita, tempore matutino. Conversionem & bonam operationem ne differ in crastinum; quia incerta est dies crastina, sed

Aaaa 6

mors

o, con-  
miseri-  
strum,  
  
es, ca-  
Conti-  
tio pia,  
à desi-  
uritate  
æ dele-  
ut cum  
n dede-  
m corde  
à virgi-  
rium ac  
gar, ut  
eniam,  
garruli-  
pitudo  
ege me  
laqueis  
to, locis  
impu-  
sti, me-  
ra con-  
nodum  
servi-  
volun-  
a matri-  
urre, ut  
inentia  
linatio-  
& tam  
in





mors impendens semper est certa: Nihil magis adversum pietati, quam dilatio; si contempnis internam Spiritus sancti vocationem, nunquam pervenies ad veram conversionem. Conversionem & bonam operationem ne differ in senectutem; sed offer Deo ipsam floridam juventutem: Incerta est juveni senectus; certus paratus est juveni impoenitenti interitus: nulla ætas servitio Dei magis apta, quam viribus corporis & animi vigenis juvenia: In nullius hominis gratiam suscipere debes actionem malam; non enim homo iste, sed Deus tuam aliquando judicabit vitam: Nullam ergo hominum gratiam divinæ statuas gratiæ præferendam. In via Domini aut proficimus aut deficimus: Singulis ergo diebus vitam tuam examina, an in pietatis studio proficias aut deficias. Stare in via Domini est retrogredi, non ergo te delectet, in cursu pietatis stare, studeas autem semper in via Domini ambulare. In conversatione tua omnibus sis sylvavis, nemini gravis, paucis familiaris, Deo vivas piè, tibi castè, proximo justè, amico utaris ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus potes, ad beneficentiam. In vita tibi tuisque vitiis quotidie morere, sic in morte Deo poteris vivere. Appareat misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione. Semper cogites *tria præterita*, malum commissum, bonum omissum, tempus amissum. Semper cogites *tria præsentia*: Vitæ præsentis brevitatem, salvandi difficultatem, salvandorum paucitatem. Semper cogites *tria futura*: mortem, qua nihil horribilius, iudicium, quo nihil terribilius, poenam inferni, qua nihil intolerabilius. Preces vespertinæ præterlapsæ diei

amen



emendent peccata; Vltim<sup>9</sup> septimanæ dies præcedentium dierum emendet delicta Vesperis cogita, quæ multi in infernum eo diei præcipitati, & Deo gratias age, quod tempus tibi concesserit poenitendi. *Tria* sunt super te, quorum cogitatio nunquam recedat à memoria tua. Oculus omnia videns, auris omnia audiens, & libri, in quos omnia scribuntur. Totum se Deus tibi communicavit, totum te communices etiam proximo tuo: Optima vita est, quæ tota aliis inservit: Exhibe superiori obedientiam & reverentiam, æquali consilium & auxilium, inferiori custodiam & disciplinam. Corpus tuum subjiciatur animo, & animus Deo. Mala tua præterita defleas, præsentia bona parvipendas. futura bona toto cordis desiderio concupiscas. Memento peccati tui, ut doleas: Memento mortis ut desinas: memento justitiæ divinæ, ut timeas: memento misericordiæ divinæ, ne desperes: Quantum potes, à mundo te abstrahe, & servitio Domini te toto devove: Semper cogita periclitari castitatem in delitiis, humilitatem in divitiis, pietatem in negociis: Nulli placere appetas, nisi Christo: nulli displicere timeas, nisi Christo. Semper ora Deum, ut jubeat, quod velit, & det quod jubeat: Quod factum est, regat, quod futurum, regat: qualis videri vis, talis etiam esse debes: Non enim judicat Deus secundum speciem, sed secundum veritatem. In verbis cave multiloquium, quia de omni verbo vano rationem exigit iudicium. Opera tua qualiacunque sint, non transeunt, sed velut æternitatis quadam semina jaciuntur, si seminas in carnem, à carne metes corruptionem, si seminas in spiritum, à spiritu metes æternæ retributionis præmium. Non sequentur te post mortem honores mundi, nec sequentur te



12 *PRECATIONES ET HYMNI*

divitiarum cumuli; non sequentur te voluptates, nec sequentur mundi vanitates, sed post ultima vitæ fata sequentur te omnia tua opera. Qualis ergo vis esse in iudicio, talis hodie appareas in Dei conspectu; non aestimes, quæ tibi adsunt, sed potius aestimes ea, quæ tibi desunt, non superbias propter id, quod est datum, sed humiliaris propter id, quod est negatum; discere vivere, dum adhuc licet vivere, in hoc tempore æterna vita acquiritur aut amittitur, post mortem non restat tempus operandi, sed incipit tempus compensandi: In futura vita non expectatur operatio, sed operum retributio. Sancta meditatio pariat in te scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio faciat orationem: Magnum bonum pro pace cordis silentium est oris: Quanto magis fueris à mundo separatus, tanto magis Deo eris gratus: Quicquid habere desideras, à Deo pete, quicquid habes, Deo Tribue: Non est dignus, qui non agit gratias pro datis; cessat gratiarum decursus, ubi non fuerit recursus. Quicquid tibi accidit, in bonum converte, quoties tibi obveniunt prospera, aestima, quod exhibeatur benedicendi & laudandi materia; quoties obveniunt adversa, aestima, quod poenitentia & conversionis sint monitoria. Vim potentia tuæ ostende iuvando, vim sapientia tuæ erudiendo, vim divitiarum in benefaciendo. Non frangat te adversitas, neque extollat te prosperitas sit scopus vitæ tuæ Christus, quem sequaris in via, ut eum assequaris in patria. In omnibus maximè tibi curæ sit profunda humilitas, & ardens charitas: Elevet cor tuum charitas ad Deum, ut ei adhæreas, deprimat cor tuum humilitas, ne superbias. Aestima  
De-



Deum Patrem clementiã , Dominum disciplinã ,  
 Patrem potestate blandã , Dominum severa ; dili-  
 ge ut Patrem piè , time ut Dominum necessariè :  
 dilige eum, quia vult misericordiam , time eum,  
 quia non vult peccatum : Time Dominum , &  
 spera in eum, agnosce tuam miseriam , & ipsius  
 prædica gratiam. O Deus, qui dedisti velle, da e-  
 tiam perficere.

12. *Gratiarum actio pro variis Benefi-  
 ciis.*

O Christe salus animæ meæ , gratias tibi ago,  
 toto corde meo, pro omnibus beneficiis tuis, qui-  
 bus pascis me à juventute mea usque ad sene-  
 ctam. Te deprecor per te ipsum, ne derelinquas  
 me, fecisti me, cum non essem; redemisti me, cum  
 periissem , perieram, mortuus fueram, & tu ad  
 mortuum descendisti , & mortalitatem suscepisti;  
 ad servum rex descendisti ; ut servum redimeres,  
 te ipsum tradidisti, ut ego viverem , tu mortem  
 suscepisti & vicisti. Me instaurasti cum te humi-  
 liasti; venisti pro me, ut redimeres me, & tantum  
 me dilexisti, ut sanguinem tuum in pretium dares  
 pro me. Dilexisti me Domine, plus quam te, quia  
 mori voluisti pro me. Tali pacto, tam caro pre-  
 tio reduxisti me de exilio , redemisti me de servi-  
 tio, retraxisti me de supplicio , vocasti me nomine  
 tuo, signasti me sanguine tuo; unxisti me oleo  
 tuo, de quo tu unctus fuisti, ut à te Christo dicerer  
 Christianus, Sic igitur gratia & misericordia tua  
 semper prævenerunt me. De multis namque &  
 magnis periculis sæpe liberaisti me, liberator me<sup>9</sup>,  
 quando erravi , in viam reduxisti me ; quando i-  
 gnoravi, docuisti me; quando peccavi , corripui-  
 sti me : quando tristis fui, consolatus es me: quan-  
 do



14    *P R E C A T I O N E S E T H Y M N I*

do desperavi , confortasti me : quando cecidi , e-  
rexisti me : quando ivi , deduxisti me : quando ve-  
ni , suscepisti me : quando dormivi , custodisti  
me : quando clamavi , exaudisti me : Fac Domine  
ut dulce mihi sit de beneficiis istis tuis semper  
cogitare , semper loqui , semper tibi gratias age-  
re , & te in omnem æternitatem celebrare , A-  
men.

13. *Gratiarum actio pro conservatione  
corporis.*

Gratias ago tibi Rex gloriæ , ac Domine cœli  
ac terræ , quod me toto vitæ meæ tempore , à ju-  
ventute mea , usque in præsentem hanc horam  
fovisti , & quotidie mihi cibum , potum , vestes-  
que curasti , atque res omnes corpori ac vitæ ne-  
cessarias copiose , & quotidie suppeditas. Ecce  
enim nudus , egenus , ac miser ex utero matris  
in hunc mundum veni : Tu autem quodcunque  
ad conservationem mei opus est , communicas.  
Hic omnibus beneficiis me planè indignum , nec  
ea me promeruisse confiteor. Multa fecisti , tu  
Domine DEUS meus , mirabilia tua magna ,  
& cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi :  
de his annuntiabo & loquar. Et quamvis su-  
per numerum sint multiplicata , tamen non tace-  
bimus nec occultabimus laudes tuas , sed bonita-  
tem tuam filiis filiorum tuorum annuntiabimus  
& de fidelitate tua successoribus nostris dicemus ,  
quam diu hoc seculum erit. Rogo etiam , ne me  
porro deserere , sed panem mihi ad vescendum ,  
& vestimentum ad induendum concedere velis.  
Tu etenim scis Domine , quod ejusmodi donis ad  
temporariam hanc vitam conservandam carere  
non



non possumus. Et quod eadem à nobis ipsis, sine auxilio tuo, consequi non valeamus: sed te dante colligimus, aperiente te manum tuam omnia implentur bonitate. Concede etiam quæso similiter, ne donis tuis, tanta liberalitate nobis concessis, ad peccatum abutamur, ne corda nostra graventur crapula aut ebrietate, & curis hujus seculi, ne mammonæ inserviamus, & in tentationem & laqueum diaboli incidamus, & in desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Ab avaritia nos protege, quæ radix est omnium malorum, ne eam appetentes, erremus à fide, & multis inferamur doloribus. Gratiam, ô bone DEUS, concede, ut omnem curam nostram super te clementissimum Patrem nostrum in cœlis semper jactemus, quotidiano pane donisque tuis contenti simus. Siquidem quæstus sit magnus, pietas cum animo sua sorte contento. In CHRISTO IESU, Domino nostro, Amen.

14. *Pro Benefactoribus.*

Mitissime atque fidelis DEUS, quandoquidem verbo tuo divino instructus, audiam atque cognoscam, quod omnis tibi ingratitude displiceat, & quod pœna à domo ingrati non recedet, quoniam ingrati spes, tanquam hybernalis glacies tabescat, & dispereat tanquam aqua supervacanea. Itaque oro, gratiam mihi largire, ut ex intimo cordis affectu, pro omnibus beneficiis tuis semper tibi gratias agam: Neque erga eos, qui mihi unquam benefecerunt, ingratus inveniar, ne in iudicium tuum divinum, & damnationem incidam. Gratiam itaque tibi dico, ô

Do-



Domine DEUS , omnipotens Pater , quoniam bonus , quoniam in æternum misericordia tua. Fidelis enim es , & pactum tuum servas in mille generationes, tibi laus & gloria, pro omnibus donis tuis. Adoro etiam te pro omnibus hominibus, qui me unquam beneficiis affecerunt, qui me à juventute duxerunt atque foverunt, qui me docuerunt, instruxerunt, & ad optima quæque informarunt. Qui mihi verbis , aut opere , consilio & usui fuerunt. Pro iis etiam intercedo , quibus alioquin orationes meas debeo , quorum nomina & desideria tibi sunt cognita. Eos tibi omnes dulcissime Deus, commendatos esse concede , bona eis tum corporis , tum animæ, tam in hac vita, quam in futura retribuere digneris. Gratiam mihi, tuamque benedictionem concede , ut tempore oportuno beneficia ipsis refundere , & de ipsis in filiis benè mereri queam , & quemadmodum mihi benefactum est. ita & ego aliis hominibus, pro facultate mea usui sim, & auxilio: Ne folia mea marcescant , & relinquantur velut lignum aridum & inutile. Ne, quæso, ob aliorum hominum ingratitude deficiam , aut defatiger bonum operari erga omnes, maximè vero erga domesticos fidei , quandoquidem etiam tu Pater noster cœlestis bonus sis , & permittas Solem tuum oriri super bonos & malos , & pluis super justos & injustos. Hoc obsecro , liberale exemplum tuum imitemur, ut exhibeamus nos tanquam veros filios tuos , qui beneficiando obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam, ne divinum nomen tuum inter nos dehonestetur , aut blasphemetur, & honor tuus violetur. Qui vivis & regnas verus ac omnipotens Deus , nunc & in æterna secula , Amen.

*Con.*



## 15. Confessio Peccatorum Pœnitentis.

Miser ego peccator, confiteor Deo Omnipotenti, & dilecto ejus Filio IESU Christo, nostro Redemptori, ex toto corde meo, varia peccata mea, quæ sic in carne mea cumulata sunt, quemadmodum arena in littore maris, & quemadmodum onus grave gravata sunt super me. In quibus hucusque, Ô DEUS, secundum ejus voluntatem, qui princeps est hujus mundi, vitam transegi, & carnem meam obsecutus, quicquid pravæ cupiditates svaserunt, feci: in vanitate cogitationum mearum, in otiosis verbis, & inutili loquacitate, in stultitia operum, in cœcitate cordis, in philautia, & ridiculo mei ipsius amore, in externa & simulata probitatis specie, denique in fucata & mortua fide. Nec infidiis & susurrationibus maligni spiritus, nec carnis meæ desideriiis, digna fortitudine & conatu serio repugnaui, sed his potius morem gessi, neglectâ interim Spiritus sancti, & Dei mei fidâ admonitione. Et sic Dominum DEUM meum sæpè & multum offendi & graviter concitavi; de his omnibus admisiis, vehementer doleo, eorumque me ex toto corde pœnitet.

Nunc autem venio miser ego peccator in tempore gratiæ & misericordiæ, ad hoc asylum confugio, & Dominum meum supplex oro, ut dignetur mihi veram, & Christiano homine dignam fidem donare, & frigidum meum cor ardore sui amoris inflammet & accendat. Atque propter filium suum dilectum, IESUM Christum, omnibus meis peccatis clementer ignoscat & veniam largiatur, hocque in me efficiat, ut adjuvante sua gratia, indies me renovare possim, ut omnibus hujus mundi illecebris & voluptatibus valedicam, &

se-



18 *PRECATIONES ET HYMNI*

semel repudiatas constanter relinquam. Utque in posterum temperans, sobrius, iustus, castus, obediens, clemens, mitis modestus, & humilis existam, ut secundum voluntatem divinam in timore Domine, in hac ærumnosa vita, & lachrymarum valle possim versari, ut mundo, omnibus, & ipsi mihi mortuus, adventum Salvatoris Iesu Christi, pura conscientia fretus, purus ac sine crimine, lætitiâ spirituali, & bona spe plenus expectem, Amen.

16. *Cum horam sonantem audis.*

Omnipotens, benignissime & misericors DEUS, te oro humiliter, per innoxiam Filii tui dilectissimi mortem, concede mihi horam felicem & beatam; cum anima discessura est à corpore. O Deus, propitius sis mihi peccatori, per &c.

17. *In Tempestate.*

Potentissime Deus, nomini tuo omnes in terra potentes benedicent, & te æternum Deum adorabunt in habitaculo sancto. Tu siquidem Dominus es in excelsis throno, omnibus in locis fortitudinē & potentiam exercens; vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas, commota est & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt. Ascendit fumus præ furore ex naribus ejus, & ignis à facie ejus exarsit, ut inde fulgeret, posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus, tenebrosa aqua in nubibus aëris, & caligo sub pedibus tuis, præ fulgore in conspectu tuo nubes transeunt, & intonuit de coelo Dominus, & altissimus dedit vocē suam: Tu producis ventos de thesauris tuis, eosq; in locum tuum remittis, quando mandato tuo satisfecerunt



runt: omnia sunt tibi subjecta, cuncta te creatorum suum agnoscunt, & coram divina maiestate tua tremunt: excelsi montes, atque convalles formidant, cum iratus es Domine. Totus terrarum orbis contremiscit, mare, & aquæ furore tuo fugiunt: vox Domini intercedentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, manet Dominus rex in æternum, Dominus virtutum populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace. O mitissime Deus, protege nos à furore tuo, qui admodum est vehemens & intolerabilis, illumina vultum tuum super nos, & miserere nostri. Conserva corpus & vitam, possessiones meas in hac via ab aquis, fulmine & fulguris nec non tempestatis incendio, ab ejectione incensarum inflammationum, à tonitru, & à quacunque aduersitate; similiter etiam protege terræ fruges, à grandine & tempestate, ab imbribus, & à quovis detrimento ac damno defende nos, ô sancte Deus, à mala morte. Deus Pater, qui filium suum crucis tormenta pro me pati voluit, conservet me: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum, pro me mortuus, me custodiat; Spiritus Sanctus, qui signavit me unctio- ne, & sanctæ crucis signo protegat me, ne aliqua mihi aduersitas obveniat, Amen.

18. *Tempore pestis.*

Omnipotens Deus, fatemur atque agnoscimus, quod multis ac variis peccatis nostris frequenter ac graviter te offenderimus, & poenis proinde gravibus digni simus. Omnes siquidem, à dolor, declinavimus, simul inutiles facti sumus, nos & patres nostri mandata & iudicia tua non observavimus. Rogamus autem corde contrito infinitam misericordiam tuam, propter Iesum Chri-



Christum dilectum filium tuum, non secundum peccata nostra facias nobis, sed miserere nostri secundum magnam bonitatem & longanimitatem tuam. Esto nobis propitius pro paternâ voluntate tua, aufer à nobis horribile pestis contagium, ne sinas me his in peregrinis locis eo morbo perire. Ne arguas nos in furore tuo, & ne consumas cum impiis animam meam, & cum maleficis vitam meam: Derelinquas, obsecro, Domine furorem tuum super nos, nunquid in perpetuum Domine, irasceris nobis, & accendetur in seculum zelus tuus? Nunquid reficies nos, ut populus tuus super te gaudeat? Ostende nobis misericordiam tuam, & libera nos, memento bonitatis & misericordiae tuæ propter nomen tuum. Bonus es Domine, & recta iudicia tua, nos autem peccavimus & iram tuam concitavimus nobis: eapropter flagellum iracundiae tuæ merito obvenit nobis. Remitte obsecro, iniquitatem populi tui, & pestiferum hoc virus, propter amaram filii tui passionem, aufer à nobis. Ab ira tua, à mala & subitanea morte, & ab aeterna damnatione nos protege. Quod si autem omnino temporaria hac poena, iniquitates nostras visitare velis, succurras tum obsecro, ut paternam manum tuam sustinentes, in castigatione non desperemus, nam cum iudicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Tum etiam utilius est, hic temporariam, quam in futura vita poenam sustinere aeternam, & malumus in Domini, quam in hominum manus incidere, infinita siquidem est misericordia tua. O piissime Pater, conserva nos in verâ fide Iesu Christi, qui sempiterna est reconciliatio, & perfecta oblatio pro peccatis nostris, Amen.

AN.



19. *Ante Eucharistiae sumptionem.*

Domine Iesu Christe, aeternae fili Dei, qui in vera humanitatis natura tua, pro nobis mortem es passus, nosque à peccatis, & ab aeterna damnatione redemisti, & ne unquam tantae charitatis tuae aliqua nos caperet oblivio, in ultima coena tua, sempiternam memoriam, novumque fœdus instituisti, in quo peccatorum fidelis populi nunquam in aeternum recordaberis, eo quod constituisti nos vere corpore tuo vesci, & sacrosancto sanguine tuo potari, cum affixâ promissione remissionis peccatorum nostrorum. Nos miseri ac ærumnosi, ad te, omnis gratiae & misericordiae fontem venimus, orantes, ut omnia peccata, & inquinamenta nostra abluere, conscientias nostras purgare, atque reficere digneris, ut vera poenitentia & contritione, in vera ac firma fide, decenti reverentiâ præparati ac digni, sacratissimum corpus & sanguinem tuum ad salutem nostram accipiamus. Concede, ut per hoc novi Testamenti mysterium, fides in nobis augeatur, spes corroboretur, charitas accendatur, conscientia debilis consoletur, omnis superetur afflictio, atque in cordibus nostris divinae fidei tuae, & sempiternae redemptionis, animarum nostrarum securitatem, atque sigillum consequamur, ut supereminentem gratiam obtineamus, quæ in hoc sacramento est abscondita. O clementissime Domine, da nobis illuminatos oculos intellectus nostri, ut cognoscamus, quæ sit spes hæreditatis nostræ, & quæ nam sint divitiæ magnificæ coenæ, in qua una cum vero corpore & sanguine tuo, etiam peccatorum remissionem, veram justitiam, & cuncta cœlestia bona, nobis communicas, ut ex intimo cordis affectu ac  
desi-

AN.



desiderio, digne sacramentum hoc accipiamus, tuamque dulcedinem degustemus. Aufer à nobis, quicquid tibi displicet, aut impedimento nobis est, nosque à te repellit: Largire autem quicquid ad te nos promoveret atque deducit, ut fractus salutaris hujus mensæ participes essurientes & siti- entes animæ nostræ, hic cibum potumque conse- quantur, ac in futura vita cœlesti pane, tecum in sempiternum vescantur, Amen.

20. *Gratiarum actio post Eucharistiæ sum-  
ptionem.*

Gratias tibi ago Domine sanctissime, Pater o- mnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem in- dignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare digna- tus es, pretioso corpore & sanguine filii tui, Do- minij nostri Iesu Christi. Et precor, ut hæc sancta communio, non sit mihi reatus ad pœnam, sed in- tercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis ex- terminatio, charitatis & patientiæ, humiliatis & obedienciæ augmentatio: contra insidias inimico- rum omnium tam visibilium, quam invisibilium firma defensio. Motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhæsiō, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabi- le convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum filio & Spiritu sancto, sanctis tuis, es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta, per Christum Dominum no- strum, Amen

Se-



21. *Sequuntur aliquot Precationes Festi-  
vales.*

## I. De Novo Anno.

Novi anni exordium novos in me motus exci-  
tat, & partim ad celebrandum Deum pro bonis  
præteritis, partim ad supplicandum pro futuris in-  
stimulat. Recordor, ô mitissime Pater, variorum  
munerum, quæ anno exacto, è manu tua largiter  
accepi. Tuum est, quod me aluisti & rexisti: Tu-  
um est, quod auditus verbi, & Sacramentorum u-  
sus patuit: Tuum est, quod mala cuncta à me  
propulsata novi. O quam copiosa est, mi Pater,  
tua gratia? Benedictus sis in æternum, quia per  
te benedicti sumus in tempore. Hymnum de-  
canto nomini tuo, quia vires, ut possem canere,  
concessisti Honor tibi sit & gloria, quia me imme-  
rentè honore cumulas. Perficiatur laus tua, ex ore  
lactentium, qui fœcundas nostrū tabernaculum.  
In tuam *εὐλογίαν* vergant omnia, quia per te, & à  
te accepimus omnia. Serves modo, quod dedi-  
sti, & perficias, quod cœpisti. Felix decurrat an-  
nus, quem ingredimur: Sit prosperitas in muris,  
& salus in palatiis nostris. Vox verbi tui poten-  
ter currat, & confundantur adversarii. Pax in po-  
litia vigeat, & conterantur gladii. Vbertate an-  
num coronas, ut mitigetur annonæ caritas. Be-  
nedic labori & studio meo: ut quæ nova ordior  
exercitia, feliciter procedant. Largire pacem un-  
dique, quâ nullum est bonum pretiosius. Aver-  
te mala, quæ imminent, & adduc bona, quæ af-  
fulgent. Ita exoptatus erit anni hujus introitus,  
eoque decurso novum cantabimus hymnum no-  
mini tuo, & dicemus semper ex Psal. 36. v. 27.

L, IV, P. P.

Bbbb

Ma-



*Magnificetur Dominus, cui sit laus & gratiarum actio  
in æternum, Amen.*

22. II. *Meditatio pia de Myſteriis incarna-  
tionis Chriſti.*

Abducamus paulisper animos nostros ab his temporalibus, & mysteria nativitatis Dominicæ contemplemur. Filius Dei ad nos de cœlo descendit, ut adoptionem filiorum consequamur. Deus homo fit, ut homo divinæ gratiæ & naturæ particeps fiat. Circa mundi vesperam nasci Christus voluit, ut significaret incarnationis beneficia non præsentem hanc, sed æternam vitam attingere. Tempore Augusti pacifici nasci voluit, qui humanum genus cum Deo pacificavit. Tempore servitutis Israëlitiæ nasci valuit, qui est verus liberator & vindex populi sui. Sub imperio alieni Domini nasci voluit, utpote, cujus regnum non erat de hoc mundo. Nascitur de virgine, ut significet se non concipi aut nasci, nisi in cordibus eorum, qui Spirituales virgines sunt, hoc est, quorum mentes nec mundo, nec diabolo, sed Deo in uno spiritu adherent. Nascitur purus & sanctus, ut impuram & contaminatam nativitatem nostram sanctificet. Nascitur à virgine viro desponsatâ, in matrimonii divinitus instituti honorem. Nascitur in noctis tenebris, qui erat vera lux mundi tenebras illuminans. Reponitur in præsepe, qui est verum animæ nostræ pabulum. Nascitur inter bovem & asinum, ut homines, qui jumentis per peccatum assimilati erant, ad pristinam dignitatem reducat. Nascitur in Bethlehem, id est, domo panis, qui uberrimum divinorum beneficiorum secum afferebat pabulum. Primogenitus est & unigenitus matris suæ in terris, qui secundum



dum divinam naturam est primogenitus Patris  
 in cœlis. Nascitur pauper & inops, ut cœlestes di-  
 vitias nobis comparet. Nascitur in vili pecorum  
 stabulo, ut ad cœlestis aulae nos deducat palatia.  
 E cœlis tanti beneficii mittitur nuncius, quia ne-  
 mo in terris illius magnitudinem intelligebat.  
 Cœlestium munerum merito etiam cœlestis nun-  
 cius est. Gaudent Angelorum exercitus, qui nos  
 ob incarnationem Filii Dei beatitudinis suae pos-  
 sunt habere socios. Pastoribus tantum miracu-  
 lum prius nunciatur, quia verus animarum Pastor  
 venerat perditas oves in viam reducturus. Con-  
 temptis & ignobilibus tanti gaudii materia nun-  
 ciatur, quia nemo ejus particeps fieri potest, qui  
 non in oculis suis sibi displicet. Vigilantibus jux-  
 ta gregem hæc nativitas nunciatur, quia non illi,  
 qui in peccatis stertunt, sed quorum cor ad Deum  
 vigilat, tanti muneris participes fiunt. Iubilat  
 cœlestis militiae Chorus, qui ob primi parentis  
 culpam misere erat contristatus. Claritas Domi-  
 ni & Regis illius apparet in cœlis, cujus vilitatem  
 homines despiciebant in terris. Timorem dimit-  
 tere jubet Angelus, quia natus erat is, qui omnes  
 timoris causas è medio erat sublaturus. Gaudi-  
 um è cœlo nunciatur, quia natus erat omnis gau-  
 dii Author & Dator, Gaudium præcipitur, quia  
 inimicitia inter Deum & homines, omnis tristitiæ  
 causa, erat remota. Gloria in excelsis Deo reddi-  
 tur, quam primus parens illicita mandati trans-  
 gressione rapere voluerat: vera pax hac nativita-  
 te parta est, quia ante homines erant Deo inimici,  
 antea adversa ipsis erat propria conscientia, antea  
 à semet ipsis dissidebant invicem. Vera pax ter-  
 ris est reddita, quia superatus is, qui nos captivos



detinebat. Adeamus & nos cum Pastoribus Christi præsepe, hoc est, Ecclesiam, & in fasciis, id est, Scripturis sacris involutum inveniemus hunc infantulum. Conservemus & nos cum Maria, sancta Domini matre, tanti mysterii verba, & quotidianâ memoriâ jugiter ea recolamus. Subsequamur voce nostra præcinentes Angelos, & meritas pro tanto beneficio agamus gratias. Jubilemus & lætemur cum toto cœlesti exercitu. Si enim Angeli tantopere gaudent nostri causâ, quanto magis nobis gaudendum erit, quibus natus & datus hic infans? Si voces & júbila tollebant Israëlitæ, cum arca fœderis ad illos adduceretur, quæ figura & umbra fuit incarnationis Dominicæ, quanto magis nobis lætandum, ad quos ipse Dominus in assumptâ carne nostra descendit. Si Abraham gavisus est, cum diem Domini videret, & in specie humana ad tempus assumptâ Dominus ipsi appareret, quid nobis faciendum erit, cum jam Naturam nostram perpetuo & indissolubili fœdere sibi junxerit: Miremur hic immensam Dei bonitatem, qui cum ad ipsum nos ascendere non poteramus, ipse ad nos descendere voluit. Miremur immensam Dei potentiam, qui ex duobus distantissimis, divina scilicet & humana natura, facere potuit unum conjunctissimum, ut jam unus idemque sit Deus & homo. Miremur immensam Dei sapientiam, qui de nostri redemptione modum invenire potuit, cum nec Angeli, nec homines modum viderent: infinitum bonum offensum erat, infinita requirebatur satisfactio: Homo Deum offenderat, ab homine requirebatur satisfactio: Sed ab homine nec infinita præstari poterat satisfactio, nec justitiæ divinæ satisfieri

pote-



poterat, sine infinito pretio. Factus igitur Deus homo, ut & qui peccaverat, satisfaceret, & qui infinitus erat, infinitum pretium persolveret. Mireremur hoc stupendum justitiæ & misericordiæ divinæ temperamentum, quod nulla creatura, antequam Deus manifestaret, invenire poterat, nec postquam manifestum est, plene percipere potest. Miremur hæc, non curiosius rimemur: introspicere cupiamus, & si totum non capiamus, fateamur potius nostram ignorantiam, quam Dei negare velimus potentiam.

23. III. *Gratiarum actio pro Passione Christi.*

Gratias ago tibi, Domine Iesu Christe, vero Deo & homini, quod me miserum peccatorem & damnatum hominem, citra omnia mea opera, merita & dignitatem, per sanctam passionem tuam, per mortem, & sanguinis effusionem redemisti. O Domine Iesu Christe, quam magna est passio tua, quam gravis, quam affectus es poena, quam frequens afflictio, quam alta sunt tua vulnera, quam amara multisque doloribus atque tormentis est mors tua comparata? Quam ineffabilis est charitas tua, qua me Patri tuo reconciliasti? quando in monte oliveti sudorem sanguineum, præ magno mortis terrore sudasti adeo, ut etiam sanguis guttatim in terram proflueret, ubi & ab omnibus discipulis tuis relictus, in sceleratorum Iudæorum & impiæ cohortis manus te voluntarie pro me tradidisti, qui te non, reluctantem fortissimè ligatum atque constrictum, ab uno iniquo iudice ad alium sine misericordiâ deduxerunt, ubi falso accusatus, damnatus, consputus, derisus, & pugnis in faciem percussus, vulneratus es propter iniqui-



tates nostras , & propter scelera nostra attritus, flagellatus, spinis coronatus , & misere tractatus, quasi vermis esses, & non homo , opprobrium hominum , & contemptus populi, despectus, & novissimus virorum , vir dolorum; & sciens infirmitatem, usque adeo, ut gentilis animus commiseratione motus diceret : Ecce homo. Ob scelera & iniquitates meas , in medio duorum latronum, tanquam maledictum, manibus & pedibus clavis perforatus, cruci affixus es. Adhæc, in extrema siti tua , aceto & mirra potatus, gravissimo dolore misisti spiritum, ut debita nostra persolveres, & livoribus tuis salvaremur. Pro his laudes ac gratias tibi dico, & oro, ne amara tua passio ratione mei, irrita sit, & frustra instituta, sed ut ei tota mente innitar , eamque ita apud me perpendam, ac ruminem, ut cunctis in me noxiis desideriiis extinctis atque suppressis, omnis contra in me plantetur, & augeatur virtus. Ut peccatis mortuus, justitiæ vivam, & á te præfixum mihi exemplum, atque vestigia imiter, malum patienter perferam, & injuriam bona conscientia sustineam, Amen.

24. *IV. De Christi Ascensione.*

Cogita fidelis anima Ascensionem Sponsi tui: Christus visibilem præsentiam fidelibus suis subtraxit, ut fides haberet exercitium, beati namque, qui non vident, & credunt. Vbi est thesaurus noster, ibi etiam sit cor nostrum: Thesaurus noster Christus in cælo est, cœlestibus ergo adhæreat cor nostrum, & ea quæ sursum sunt, cogitet. Sponsa reditum sui Sponsi ardentissimis exoptat gemitibus: Ita fidelis anima semper exoptet adventare diem



diem illum, in quo ad nuptias Agni introducatur, confidat in arrha sancti Spiritus, quam descendens reliquit ei Dominus : confidat in corpore & sanguine Domini, quæ in cœnæ mysterio accipit, & credat, corpora nostra cibo hoc incorruptibili saturata aliquando resuscitatum iri, quod jam credimus : nunc videbimus, & nostra spes tunc erit res; sub specie aliena adest viatoribus nobis Dominus, sed in cœlestis patriæ diversorio eum agnoscemus & intuebimur. Voluit autem Salvator noster à monte oliveti ascendere : Oliva pacis & gaudii insigne, merito ergo ab oliveti ascendit monte, qui territis & consternatis conscientiis tranquillitatem peperit sua passione : merito ab oliveti ascendit monte, qui maxima cœlestis curiæ accipitur jubilatione. Montana illa nos ad cœlestia vocant, sequamur sanctis desideriis, quia pedibus non possumus sequi corporeis. Moyses itidem in monte ascendit ad Dominum, in monte sancti adorarunt Patriarchæ, montana elegit Abraham, Loth vero planiciem; relinquat fidelis anima mundi planiciem, & ad cœli montana sanctâ devotione contendat, ita dulcissima senties Dei interius loquentis alloquia, ita in oratione sua poterit adorare in Spiritu, ita conflagrationem æternam mundanæ planicie paratam poterit cum Abrahamo effugere. Bethaniam villam humilitatis & afflictionis notat, per quam ad regnum cœlorum nobis patet aditus, sicut & Christus ex villa afflictionis ad cœlestia penetravit gaudia. Hactenus cœlum clausum videbatur, & Paradisus superior per romphæam rutilantem custoditus, nunc victor Christus cœlum aperit; ut nobis in cœlestem patriam, unde excideramus, viam monstraret. Stabant Discipuli sublatis oculis cœlum,

ritus,  
tatus,  
m ho-  
& no-  
firmi-  
isera-  
era &  
num,  
clavis  
rema  
dolo-  
res, &  
c gra-  
o ra-  
ei to-  
rpen-  
efide-  
in me  
mor-  
ni ex-  
enter  
tine-

ui:  
sub-  
que,  
s no-  
oster  
at cor  
onsa  
miti-  
ntare  
diem



intuentes, ita veri Christi Discipuli cordis oculos, ad cœlestia contemplanda attollant. O Domine Iesu quam gloriosam passio tua consecuta est clausulam? Quam felix hæc & quam subita mutatio? Qualem te vidi patientem in monte calvaria, & qualē te nunc conspicio in monte oliveti? Ibi eras solus, hic multis Angelorum millibus comitatus: Ibi ascendebas in crucem, hic in nube ascendis ad cœlum: Ibi crucifigebaris inter latrones, hic exultas inter Angelorum choros. Ibi clavis cruci affixus & damnatus, hic liber & damnatorum liberator: Ibi moriens & patiens, hic gaudens & triumphans. Christus est caput nostrum, nos ipsius membra: Gaude igitur & exulta, in ascensione capitis tui, fidelis anima! Gloria capitis, membrorum etiam gloria est: Vbi caro nostra regnat, ibi nos regnare credamus: ubi sanguis noster dominatur, ibi nos gloriosos futuros speremus, etsi peccata nostra nos prohibeant. Naturæ tamen communio non repellit: ubi caput est, ibi etiam reliqua membra erunt: Caput nostrum cœlum ingressum est, habent ergo æquissimam rationem de cœlo sperandi reliqua membra, non solum autem hoc, sed & in cœlo iam possessionem accepere. Descendit Christus de cœlo nos redempturus, ascendit vicissim ad cœlum nos glorificaturus: Nobis natus est, nobis passus est, igitur & nobis ascendit. Christi passione nostra charitas, Christi resurrectione fides nostra, Christi Ascensione spes nostra solidatur. Sequi autem debemus Sponsum nostrum non solum ardentibus desideriis, sed etiam operibus bonis: In supernam illam civitatem non intrabit aliquid coinquinatum, in hujus rei signum. Angeli ex cœlesti Hierosolyma venientes

tes



tes apparuerunt amicti vestibus albis, quibus puritas & innocentia denotatur. Cum humilitatis magistro non adscendit superbia, nec cum bonitatis authore malitia, nec cū Filio virginis libido & luxuria: Non ascendunt vitia post virtutum parētem, nec peccata post iustum, nec infirmitates ire possunt post Medicum. Qui Deum coram aliquando intueri desiderat, is etiam dignus in eius conspectu vivat, qui cœlestia sperat, terrena contemnat: Trahe corda nostra bone Iesu.

25. V. *De Spiritu Sancto.*

Ascendens Dominus noster in cœlos, & intrans in gloriam suam, misit Discipulis Spiritum sanctum in ipso Pentecostes die. Sicut in veteri Testamento Deus legem promulgans in monte Sinai ad ipsum Moysen descendebat: ita cum Evangelium per Apostolos in orbem terrarum propagandum, ipse Spiritus ad Apostolos descendebat: Ibi tonitrua & fulgura & clangor buccinæ interrissimus; quia lex contra inobedientiam nostram detonat, & nos iræ divinæ arguit: Hic vero sonitus leniter strepentis auræ; quia Evangelii concio consternatas mentes erigit: Ibi totius populi expavescencia atque terror; quia lex iram operatur; hic vero tota multitudo confluit, & mirabilia Dei audit; quia per Evangelium nobis ad Deum patet aditus: Ibi Iehova descendit in igne, sed in igne iræ & furoris; ideo mons commovebatur & fumabat; hic vero descendit Iehova Spiritus S. in igne; sed in igne amoris & dilectionis, unde non commovetur domus divinâ irâ, sed potius tota repletur Spiritus sancti gloria. Quid mirum si Spiritus sanctus è cœlesti mittitur curiâ ad sanctificandum, cum Filius missus fuerit ad genus huma-



num liberandum: Non proderat Christi passio, nisi per Evangelium mundo fieret annunciatio, quis enim usus thesauri absconditi? Ideo benignissimus Pater non solum magnum paravit beneficium per Filii passionem; sed etiam toti mundo illud offerri voluit per Spiritus sancti missionem. Fidelis mater tenello filio utraque præbet ubera: Fidelis Deus nobis miseris & Filium & Spiritum S. mittit. Venit autem Spiritus sanctus super Apostolos, cum perdurarent concorditer in oratione; precum enim Spiritus est, precibus impetratur, & ad preces impellit, quare? Quia est vinculum illud, quo corda nostra uniuntur cum Deo, sicut Filium unit cum Patre, & Patrem cum Filio; est enim Patris & Filii mutuus substantialis amor: Hæc spiritualis nostri cum Deo conjunctio fit fide, fides autem donum Spiritus, impetratur precibus, sed veræ preces fiunt in Spiritu. In templo Salomonis, cum Domino adoleretur incensum, gloria Domini templum replebatur: ita si precum odoramenta offers Deo, templum cordis tui Spiritus sancti replebit gloriâ. Miremur hic Dei misericordiam & gratiam. Pater exauditionem precum promittit: Filius intercedit pro nobis: Spiritus sanctus orat in nobis: Angeli preces nostras ad Deum deferunt, atque tota cœlestis curia nostris precibus est aperta. Misericors Deus dat orationis affectum; quia donat nobis Spiritum gratiæ & precum; dat etiam orationis effectum; quia preces nostras semper exaudit, si non ad voluntatem nostram, tamen ad utilitatem. Venit Spiritus sanctus, cum omnes concorditer in eodem versantur loco; nimirum est Spiritus charitatis & concordia; conjungit nos Christo per fidem, con-

jun-



jungit nos Deo per charitatem, unit etiam nos  
 cum proximo per dilectionem. Diabolus discor-  
 diae & separationis autor per peccata separat nos à  
 Deo, per odia, contentiones & rixas homines à se  
 invicem separat, sed sanctus Spiritus, ut in Chri-  
 sto divinam & humanam Naturam mirabili sua  
 obumbratione conjunxit; ita quoque suis donis  
 in nos effusis & homines Deo, & Deum homini-  
 bus conjungit. Quam diu in homine manet Spi-  
 ritus sanctus, sua gratia & suis donis, tam diu ho-  
 mo manet unitus Deo. Quam primum homo  
 per peccata excidit à fide & charitate, & Spiritum  
 sanctum excutit; separatur à Deo, & tollitur bea-  
 tissima illa unio. Qui Spiritum S. habet, non o-  
 dit fratrem: Quare? Quia per Spiritum particeps  
 factus mystici corporis Christi, cujus membra  
 sunt omnes pii; quis vero unquam membra sua o-  
 dio habet? Imo etiam inimicos suos diligit, qui  
 Spiritu Domini regitur: Quare? Quia, qui Do-  
 mino adhæret, fit unus Spiritus cum eo; jam vero  
 DEUS suum Solem oriri finit super bonos & ma-  
 los, & nihil quicquam eorum, quæ fecit, odio ha-  
 bet. Qui Spiritum Dei habet, omnibus inservi-  
 re promptus est, omnibus pro virili benè facit, o-  
 mnibus se utendum præbet, quia etiam Deus  
 fons est omnis misericordiae & gratiae erga omnes:  
 Jam vero Spiritus S. tales motus in homine efficit,  
 qualis ipse est, sicut anima corpus reddit anima-  
 tum, sentiens, mobile: Ita Spiritus hominem ef-  
 ficat spiritualem, imbuit mentem suavitate dulce-  
 dinis divinæ, & omnia membra ad obsequia Deo  
 & proximo præstanda dirigit: E cælo factus est  
 sonitus ille, qui fuit symbolum venientis sancti  
 Spiritus, quia cælestis est: Naturæ sanctus ille Spi-  
 ritus, nimirum ejusdem essentiae cum Patre & Fi-



lio, à quo Patre & Filio ab omni aeternitate procedit; efficit etiam homines coelestia cogitantes, & ea, quae sursum sunt, quærentes; qui terrenis adheret, & amore suo mundo unitus est, ille nondum coelestis Spiritus particeps factus. Venit sub flatus symbolo, quia vivam consolationem afflictis suppeditat; quia etiam reciproco flatu ac respiratione Spiritus aërei vivimus juxta carnem; ideo sub Spiritus & flatus symbolo adventabat, qui largitur, ut vivamus juxta meliorem nostri partem. Ventus quo vult, spirat, & sonum ejus audis, sed nescis unde veniat, & quo vadat; ita est omnis, qui genitus est ex Spiritu. Congruenter etiam sub flatus symbolo venit, qui à Patre & Filio una spiratione ab aeterno procedit. Vehemens erat flatus ille; quia nescit tarda molimina Spiritus S. gratia, movet ille sanctus Spiritus pios, in quibus habitat, ad omne bonum, atque ita movet, ut nec tyrannorum minas, nec Satanæ insidias, nec mundi odia curent. Confert Apostolis linguarum donum; quia in omnem terram sonus ipsorum exire debebat; sicq; confusio linguarum, quæ poena fuerat superbiæ & temeritatis in ædificanda turre Babylonis, sublata est, jamque dispersæ illæ gentes per diversitatem linguarum, in unitatem fidei Spiritus sancti munere congregatæ sunt; congruenter sub linguarum figura venit, à quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines, qui in Apostolis locutus est, qui verba Dei ponit in os ministrorum Ecclesiæ. Pro tantis donis laudandus & benedicendus sanctus ille Spiritus cum Patre & Filio in seculum.

Gra-



26. *Gratiarum actio pro feliciter absoluto itinere.*

Gratias tibi, Rex coeli & terræ, ago immensas, teque Salvatorem meum laudibus summis celebroy, quod meus protector & adiutor sis, me in meâ peregrinatione hæctenus clementer conservaveris, atque ex tot diversis periculis, malisque, tam diurnis quam nocturnis, quæ per aquas, maria, sylvas in diversoriis, inter comites, aliisque modis & locis mihi evenire potuissent, mirabiliter me liberaveris atque eduxeris. Benedictus sis, mi Jehova, qui me adeo fideliter tutatus & auxiliatus es, quo negotia mea bene & feliciter expediverim, quæ absque tua ope nunquã consummare valuissem. Quas tibi laudes decantabo, quod me in hoc itinere à latronibus prædonibus, furibus, sycophantis, aliisque fraudulentis & pravis hominibus paterne custodiveris? Tuæ benignitati, ô sanctissime Deus, hoc unicè adscribo, quod non seductus per prava sodalitia fuerim. Hinc pleno ore & ex intimo corde te celebroy, quod mecum æque ambulaveris ac cum Patriarcha Iacobo, meus comes extiteris, meque deduxeris in hunc usque tutum & destinatum locum (diversorium, civitatem, patriam desideratissimam, ad parentes, fratres, sorores aliosque consanguineos & pristinos amicos, nec non conterraneos sinceros) & misericordissime Pater, remitte mihi omnia delicta contra te, tuamque divinam voluntatem à me in hoc itinere quotidie perpetrata, largire potius ut tua singula beneficia, quibus me in hoc itinere beasti omni tempore & loco grata mente recolam, tuumque sacratissimum nomen eapropter dignis laudibus celebrem. Dirigas per Spiritum S. tu-



um meas cogitationes & actiones, ut eæ singulæ in gloriam tui nominis, in honorem parentum & cognatorum meorum, in salutem mei ipsius, & utilitatem proximi vergant ad sis mi Domine, & in posterum mihi benedicas reliquis peregrinationibus studiis, cunctisque conatibus meis. Adjuva insuper, ut meæ futuræ profectioes ad tuam laudem, meum & Reip. emolumentum feliciter conficiantur. Defendas me domi forisque apud notos & ignotos, doceas me facere voluntatem tuam, tuus bonus Spiritus me gubernet, ducatque in omnib<sup>9</sup> viis meis. Tunc tibi per omnem ætatem meam pro mea quidem fragilitate serviam in pietate, ac in choro omnium electorum aliquando tibi solvam libamina grata meritæ laudis, per omnia secula seculorum Amen.

27. *Agrotantis.*

Omnipotens Deus, cœlestisque Pater, quandoquidem præcepisti nobis, dicens: Invoca me in die tribulationis, exaudiam te, & honorificabis me. Itaque invoco te: hac summa difficultate meâ, per Iesum Christum dilectum filium tuum, ne me miserum peccatorem deseras. Quod si igitur hæc mea infirmitas ad mortem non verget, succurre mihi, ut convalescam propter misericordiam tuam, ut potentiam & virtutem tuam, quam præstitisti mihi, annunciem atque concelebrem. Quod si vero magis mihi expediat temporariam mortem subire, quam in hac lachrymarum valle, & ærumnosa vita permanere: fiat, Domine, divina voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra: & gratiam, obsecro, largire, ut totum me voluntati tuæ, quæ semper optima est, committam. Conserva me firmum in fide & Christiana confessione usq;



in finem, nunquam me á te separari concede. Sed accipe animam meam ad te in regnum tuum, per eundem dilectum filium tuum, Iesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

28. *Orationes breves in morte dicende.*

In manus tuas Domine commendo spiritum meum; redemisti me Deus veritatis.

IESU Christe, misericordiarum Pater, misericordiam fac mihi pauperulae creaturae tuae.

Adjuva me in hac extrema necessitate, succurre animae egenti, & desolatae, Domine Deus noster, ut non à canibus infernalibus devoretur.

Dulcissime Domine Iesu Christe, ob honorem & virtutem tuae benedictae passionis, jube me a-scribi in numerum electorum tuorum.

Domine IESU Christe, fili Dei vivi, pone passionem, crucem & mortem tuam inter iudicium tuum, & animam meam.

Creator & Redemptor meus Iesu Christe, totum me tibi dedo, non me renuas. ad te venio, non me repellas.

Nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum meum.

Sonet in mentis meae auribus vox illa dulcis

Domine Iesu: Hodie mecum e-  
ris in Paradiso.

os (o) se  
f

In.





## INDEX PRECATIONUM.

1. *Precatio ingressuri iter.*
2. *Oratio Peregrinantis.*
3. *Benedictio Matutina.*
4. *Benedictio Vespertina.*
5. *Brevior Precatio Vespertina ituri cubitum.*
6. *Discipuli pii Precatio quotidiana*
7. *Aliud votum Scholastici Christiani quotidianum.*
8. *Alia precatio scholastici.*
9. *Adolescentis.*
10. *Pedagogi & Præceptoris pro auxilio divino in officio suo recte obeundo.*
11. *Generales pie vivendi regulæ.*
12. *Gratiarum actio pro variis Beneficiis.*
13. *Gratiarum actio pro conservatione corporis.*
14. *Pro Benefactoribus.*
15. *Confessio Peccatorum Pœnitentis.*
16. *Cum horam sonantem audis.*
17. *In tempestate.*
18. *Tempore pestis.*
19. *Ante Eucharistiæ sumptionem.*
20. *Gratiarum actio post Eucharistiæ sumptionem.*
21. I. *De novo Anno.*
22. II. *Meditatio pia de mysteriis incarnationis Christi.*
23. III. *Gratiarum actio pro passione Christi.*
24. IV. *De Christi Ascensione.*
25. V. *De Spiritu sancto.*
26. *Gratiarum actio pro feliciter absoluto Itinere.*
27. *Egrotantis.*
28. *Orationes breves in morte dicendæ.*

HYM-





# H Y M N I

Suavisissimi

*In usum Viatorum,*

Ex priscis & recentioribus Theolo-  
logis transsumti.

I. *Hymnus matutinus.*



Auro ra jam spargit polum, Tectis dies il-



labitur, Iubar resultat aureum, Dis-



cedat omne lubricum,

Phan-



40 **PRECATIONES ET HYMNI**

Phantasma noctis hinc eat :  
Mentis reatus corruat :  
Quicquid tenebris horrida  
Nox attulit culpæ cadat.  
Ut manè lucis ultimæ,  
Quum proferet nobis diem  
Novissimum, caligne  
Stemus soluti in lumine.

2. *Alius Hymnus matutinus. Gen. 2.*

Nox vaga cessit, Sorte regessit

Sol taciturnâ, Fata diurna,

2. Gloria Patri,  
Qui ducis atri  
Hinc opus iræ  
Iussit abire.
3. Meque refotum,  
Plaudere totum,  
Cireque venam  
Fecit amœnam!
4. Quam bonus es tu,  
Mi Deus, æstu,  
Plene favoris,  
Omnibus oris.

5. Tu



5. Tu mihi pronus  
Porro Patronus  
Semper adhære,  
Meque tuere:
6. Tu rege, fulci,  
Numine dulci;  
Postque corona  
Cælite dona.
7. Te Duce solo  
Agmina nolo,  
Nolo timere,  
Docta timere.
8. Sic fore spero,  
Nam tibi vero  
Fido, Parenti  
Cuncta foventi!

3. *Alius Hymnus matutinus.*

The musical notation consists of three staves, each with a C-clef and a key signature of one flat (B-flat). The notes are square neumes. The first staff has two measures: the first measure contains four notes, and the second measure contains four notes. The second staff also has two measures: the first measure contains four notes, and the second measure contains four notes. The third staff has two measures: the first measure contains four notes, and the second measure is mostly empty with a few notes.



1. In nomine Domini,  
Veri Dei & hominis  
Ex hoc surgo lectulo,  
Exul in hoc seculo.
2. Qui me suo sanguine,  
Unico solamine,  
Recreavit miserum,  
Reddidit & liberum.
3. A morte tristissima,  
Et cruce durissima,  
Denique qui se trucem,  
Pro me dedit in crucem.
4. Devicit & torrida,  
Morte monstra horrida,  
Ceu Gygas in acie  
Geminae substantiae,
5. Is me regat hodie  
Protegat quotidie  
Vas misericordiae,  
Faciatur me hoc die.
6. Atque necessarium,  
Gratiae sacrarium,  
In quo bono opere,  
Anima & corpore.
7. Cuncto firmet tempore,  
Toto precor pectore  
Denique post hanc vitam,  
Vivae vitae semitam,  
Vivae Dux & Dominus,  
Monstret mihi eminus,  
Quo liber omni cruce  
Transeam Christo duce,  
In bona caelestia,  
Quae carent molestia.

4. Hym-



APODEMICI,  
4. Hymnus Vespertinus.

43



Christe qui lux es & dies, Noctis



tenebras de regis, Lucis que



lumen crederis, Lumen bea-



tum prædicans.

2. Precamur, sancte Domine  
Defende nos in hac nocte,  
Sit nobis in te requies,  
Quietam noctem tribue.
3. Ne gravis somnus irruat,  
Nec hostis nos surripiat,  
Nec caro illi consentiens

Nos

ym-



44 PRECATIONES ET HYMNI

Nos tibi reos statuatur.

4. Oculi somnium capiant,  
Cor ad te semper vigilet,  
Dextra tua protegat  
Famulos, qui te diligunt.

5. Defensor noster, aspice,  
Insidiantes reprime,  
Guberna tuos famulos,  
Quo sanguine mercatus es.

6. Memento nostri Domine,  
In gravi isto corpore,  
Qui es defensor animæ,  
Adesto nobis Domine.

7. DEO Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio  
Cum Spiritu Paracleto,  
In sempiterna secula, Amen.

5. *Alius Hymnus Vespertinus.*



Te lucis ante terminum, Rerum Creator



poscimus, ut pro tua clementia, Sis Præ-



sul ac custodia,


3. Pro-



2. Procul recedant somnia,  
Et noctium Phantasmata,  
Hostemque nostrum comprime,  
Ne polluantur corpora.

3. Præsta, Pater piissime,  
Patrique Compar unice,  
Cum Spiritu Paraclete,  
Nunc & perenni tempore Amen.

6. *Alius Hymnus Vespertinus. Gen. 20,*



Vergente Solis orbita, Fessis regres-



su debita Suo merus, Dat Hesperus,

2. Cum Patre Christo, gloria,  
Reumque sit, per omnia,  
Solamini,  
Par Flamini?

3. Cujus potenti dextera  
Nassa Draconis efferâ  
Diffugimus,  
Ac vicimus.

4. Nunc membra langvent omnia,  
Nutantque semisomnia,  
Vires jacent,  
Lingvæ tacent.


5. At



5. At excubare strenua,  
 Infomnis illa bellua  
 Non dormiet,  
 Ut obviet :
6. Spernet moras, ( homunculis  
 Obesse docta fessulis )  
 Ardens gula,  
 Et unguâ.
7. Hac nocte mellitissimâ  
 Ut clade turbidissimâ  
 Nos obruat,  
 Ac destruat.
8. O Christe Iesu, corpora  
 Dum noctis occupat mora,  
 Nobis cave,  
 Nobis fave.
9. Tu pro missellis excuba,  
 Tuique numinis tuba,  
 Hostes cate,  
 Omnes quate.
10. Ut umbra quum recesserit,  
 Oculusque mundi fulserit,  
 Tibi piæ  
 Sint hostiæ.
11. Hæc firma nullus ambigo,  
 Et in Iehova colligo  
 Memet, finum  
 Tutaminum.
12. Die resurgam crastinâ  
 Fundamque salvus carmina,  
 Tam pectore,  
 Quam corpore.



7. Oratio Dominica.



Pa ter in coelis Deus omnium, San-



cti fi cetur nomen tuum.

2. Regnum tuum solidum, Rex adveniat,  
Sicut in excelsis, voluntas tua,
3. Panem nostrum, Rex gloriae,  
Quotidianum, da nobis hodie
4. Et dimitte debita postulantibus,  
Sicut nos dimittimus debitoribus.
5. Nec tentari permittas, per carnis opera,  
Sed à malis omnibus Iesu nos libera.
6. Libera Salvator Clementissime,  
Nos à malis omnibus in tuo Nomine.
7. Amen dicamus omnes pariter,  
Ut nobis relaxes culpas benigniter.

8. Pro felici successu itineris.



L.IV.P.P.

Cccc

7. Ora.





1. Nunc iter ingredior, nunc poscor abire viator,  
Par erit, ut felix nunc mihi detur iter.
2. Ast venit à solo charis hæc te, Iova, tuumque  
Numen opus facit id, non aliunde datur.
3. Ducque reducque Deus, me nunc iter istud ha-  
bentem,  
Quo placet, & quorsum duxeris, esto ratum!
4. Angelus excubias agat, imperterritus Heros,  
Cum fors obstiterit curva salebra viæ.
5. Qualis erat Raphael, dux Rachis in urbe To-  
bia,  
Cum procul à patriâ dissitus ille fuit.
6. Angelus iste tuus circumdet & arctet euntem,  
Me quoque, ne perdar mole tumentis aquæ.
7. Ah inibe, ne me latro, vel fera belua morti  
Dedat, in occursum quæ mihi forte venit.
8. Comis rure comes sit at integer hospes in urbe,  
Nec piger ad dandum, quod petiturus ero.
9. Quid rear? esto mihi tu ductor, & unica fun-  
di  
Virgula, quâ nitar per mare perque solum.
10. Talis erat olim dux prævius Israelis,  
Quando per intortas æquoris ibat aquas.



11. Fixa columna polo, cum lux fuit orta, fuisti  
Ignea præcipiti nocte columna, Deus.

12. Dum tibi Iova meam rem credo, domumque  
revertar,  
Ritè viatorem dirige, gratus ero.


9 *Alius pro felici itinere.*

Iter paro quod exigit necessitas  
Meæ vocationis : ergo prosperum  
Sit, Alme Iova, me subinde ductita,  
Ab exitu, quoad tibi redurere  
Placebit ; ut Tobiaden reduxeras  
Per angelum Raphcelem : euge ! protege  
In hisce me viis ; pericla præcave ;  
Ut in fluenta verticosa nullibi  
Ruam, vel in manum latronis incidam ;  
Feroculasve beluas ; quoad domum.  
Voles redire me : sed interim tibi  
Id omne credo, quod domi reliqueram.

10. *Alius pro itinere continuando. Gen. 19.*



Adesto Ductor, atq; Doctor optime,



Precique cordis intimæ Faveto cle-  
mens

Cccc 2

1. Fixa





2. Verbum tibi propono submisisse tuum,  
Menti meæ dulcissimum :  
Non vana, non est una fallax litera.  
Es quippe Veritas mera.
3. Mandavit angelis suis communitus  
(Tuus fatetur Spiritus : )  
Ut te viis custodiant in omnibus,  
Salubrium tenacibus.
4. Certis ubique te levabunt dexteris,  
Ne corruas ab asperis :  
Hi sunt ministri, qui ministris infimis,  
Castris ministrant intimis.
5. Quod urgeo, tui tenax procliviter,  
Fac sit mihi felix iter ;  
Egressus, & progressus, & manu tuâ  
Regressus est, in arduâ :
6. In te movemur, vivimus, per te sumus,  
Vitaque quicquid possumus :  
Cum ducis, imus, cum relinquis, labimur,  
Cum sublevas, sustollimur.
7. Ductare, Iesu Christe, sanctis angelis,  
Me servulum tuum, velis :

Illa



- Illa cohorte quo levet gravamina,  
 Et hinc, & hinc, me margina.
8. Ductore te, qui non ubique nititur,  
 Periculis quot mergitur?  
 Invertit ejus cuncta sese faustitas,  
 Tanquam rotæ rotunditas.
9. Hic à latronum diritate cingitur,  
 Globo, vel hasta sternitur;  
 Hic semivivus in vepretis concidit;  
 Hic æra, vestes perdidit
10. Verbofus instar qui comes vectabuli  
 Debebat esse blanduli  
 Non semivir, non est Ephebus vividus,  
 Auderque multa perfidus?
11. Qui spirat ultrices manus extollere  
 Suumque fratrem lædere,  
 Cavernula, vel senticetis abditus,  
 Trucidat obvium citus.
12. Multi licent sat ære vili, posteri  
 Iudæ, procaces, efferi;  
 Qui certat acer impiorum sordibus,  
 Captatur horum retibus.
13. Quid multa? non est fidus hospes hospiti,  
 Commiles haud commiliti;  
 Non frater est amore fratri deditus  
 Vt esse debet, fibritus.
14. Postica sæpe quod latent pericula,  
 Honestæ torquent corcula:  
 Domo licenter Vilis est res, egredi,  
 Virilis autem, regredi.
15. Sunt & reperti quos iit discerpere  
 Ferociens bilis feræ;  
 Hunc unda suffocavit amnis inscium,  
 Aut quæritantem Pervium.

Cccc 3

16. Et

Illa



52      *PRECATIONES ET HYMNI*

16. Et hæc, & his majora sunt & pluria,  
Vitæ viarum tædia :

Nam mille formis artifex jam perditus  
Nos perditos vult funditus.

17. Quis ergo stabit, ò Deus ter optime:  
Si non juvabis intime ?

Adesto clemens mi Patrone : Nullibi  
Turbabor, innixus tibi.

18. Quovis in angello, gubernar angelos  
Te supplici precor melo;

Ejusmodi num non Creasti servulum  
Ut servet hic homunculum ?

19. Sic Abrahamum, sæpe motum duxeras,  
Et à malis protexeras,

Ductore te, Iacobus exit Patriã,  
Reditque felici via.

20. Sic Israelis ad fuisti posteris,  
Viisque duxti prosperis :

Non obstitit furor tibi Niloticus,  
Eos retentans mordicus.

21. Sic Angeli ductu Tobias junior,  
Multis fuit felicior :

Sic Paulus, edocere missus ut fuit,  
Qua non in orã floruit ?

22. Qui te Deus non alteras, & hac vice  
Benignus hic me respice,

Te sub levante fausta sit mihi via;  
Agenda venient omnia.

23. Rebus peractis, sim redux non flaccidus  
Sed ad laborem fervidus,

Cui embryonem, matris in gestamine,  
Me jam vocasti nomine.

24. Do, subdo, commendo tibi corpusculum  
Flatumque vitæ promptulum :

Ser-



Servum subalarem tuum quis terreat ?

Quis vi nociva torqueat ?

25. Abita curæ, cede livor hostice,

Quem Iova cingat respice.

Me Cingit, inquis, indignum ? sed indignum

Favoris ejus remigum.

26. Hac spe feror : cessura cuncta prospere,

Spes nescit erubescere.

In valle mortis, si vias non cernerem,

Non hanc tamen deponerem :


27. Sit gloriosa Laus Deo Patri pio,

Deique Iesu Filio ;


Æqualis utriusque sit Spiraculo ;

Amen ; sit omni seculo !

ii. Alia brevior pro Itin. facien.



Tuæ , Ie ho va , Patriæ Commenda



me Custodiæ , Vocatio nis Orbitam



Meæ sequens per hanc Viam.

Cccc 4

2. Ad-

is

um

Ser-





54 PRECATIONES ET HYMNI

2. Adversus omnes me tuis  
Adversitates Angelis  
Tuere, daque gratiam  
Conatibus meis, tuam.

3. Ut cuncta faustus exequi  
Tandemque sospes regredi  
Possim, tibi que debitas  
Solvam frequenter Gratias.

12. *Quotidianus Hymnus Studiosi.*



Sic Deiclemens quia fert voluntas,



Ut Scholas secler celebres, bonisq; imbuam



mentē studiis: precādo Firmiter insto:

2. Ipse susceptos regat ut labores,  
Frangat & technas Satanæ dolosas;  
A Boni ne me stadio revellat,  
Fraudeve sternat.


3. In-







5F PRECATIONES ET HYMNI




Nomen tuum co la tur: Tu nos rege;



Quod vis, probe In orbe sic agatur,

Vt id tuus  
 Facit thronus;  
 Hac luce recreemur  
 Potu & cibos  
 Nostro bono,  
 Vt sic tibi probemur.  
 Remittito  
 Nutu tuo,  
 Peccata nostra Nobis:  
 A singulis  
 Periculis,  
 Malique nos furore,  
 Regni tua  
 Potentia,  
 Cum gloria tuere. Amen.

14. *Aliter.*



Colare, sanctè, Rex pie; Pa ré re

da



APODEMICI.



da vo ci tuæ; No bis ci bus sit;




de bi tis Nos sol ve , ab er ro re



& ma lis. Amen.

15. Ante cibum. Gen. I.



Edenda quinque millibus Non vel bobus



tricenis; At pane quino, pi sci bus Binis,

Cccc 6

Dy r


da








Dy na sta, le nis, Qui suffi cis & ef-




ficis Dapum su per sat esse, His ferculis




Pauperculis Dignare nunc adesse.

16. Post cibum. Gen. 9.



Al ti bonis assur gi mus, Deoque gra-



tes di cimus, Vi tæ ne cesse quod fuit,

Non






Non defuit.


2. Monarcha ter sanctissime,  
Paterque clementissime,  
Ab unico te sumsimus,  
Quod edimus.

3. Sic usque cælis edito  
Sermone montem pascito  
Ut servet ad cælos iter  
Fideliter.

17. *Tempore tempestuoso Gen. 19.*



Iehova, majestatis in victissime,



Rex uni ver si maxi me, Quam gloriosa,



quam tremenda sunt ea, Quæ vi mi-  
naris

Cccc 7

Non







na ris en theâ.

2. Inane purum, sole tecto flammeo,  
Nigrore vestis fumeo;  
Et fulguras, & fulminas, & ardua  
Proterminas tonitrua:
3. Patescit hinc, ô magne Rex, ecquid queas  
Oras in omnes terreas,  
Attende nunc, ô tota mundi, machina,  
Dei tui conamina!
4. Cæcutiens cultu chaos gentilium,  
Rerum tenax anilium;  
Cœlo tonantem, sponte Iovam credidit  
Regnare, qui nos condidit:
5. Parcus Tonantis cultor atque non frequens  
Fulgur tonitru subsequens,  
Et dividens igni corusco nubila,  
Paret; cavetque júbila,
6. Insanienti fert modum protervix,  
Finemque spectat anxie:  
Testatur hoc metu potentiam Dei,  
Et, quæso, quid sit par ei?
7. Et bruta tellus, & sonora flumina  
Ad hæc moventur fulmina.  
Mons attremiscit, tecta, turrets, omnia  
Viventium præcordia.
8. O Magne Fotor atque motor ætheris,  
Et hinc apertè nosceris:  
Ah, extimescant & colant te jugiter  
Omnes, & omnes puriter,




9. Ut gloriosam prædicant potentiam  
 Hæc magna, sic & copiam  
 Sumpti furoris, bullientis in Reos,  
 Fœdis in actis æreos.
10. Ecquod juvet conclave subterraneum  
 Introgressi tecte Reum!  
 Emissa tela fulminantis dexteræ,  
 Non possit hæc evadere.
11. At sæpius querceta, grex aut montium  
 Aut summitates turrium  
 Tanguntur ac premuntur, istis ictibus,  
 Nostris relictis ædibus;
12. Sit Laus tibi! sic, ô creator, nunc tege,  
 Sta pro tuo, Iesu, grege:  
 O Sancte Flatus, templa non finas tua  
 Quati per hæc tonitrua.
13. Manu paternâ diviantes corripe,  
 Malisque cunctis eripe:  
 Mundo scelesto dans per ignem terminum  
 Duc nos in Abrahæ finum.

HYMNI FESTIVALES.

18. In Natali Domini. Gen. 6.



Ie su ti bi sit glo ria: Quod è pu-



el lâ re giâ Prodiveris Homolatet,

Nam

Ve





Nam jubilis coelum scatet.

2. Rectoris aeterni Decus,  
Temptum jacet juxta pecus:  
In carne nostrâ parvulâ  
Bonirenidet arcula.
3. Qui nescit ullum terminum,  
Parentis occupat sinum,  
Factus puer tenellulus,  
Rerum Dynasta primulus.
4. Lux aevitatis admeat,  
Auctu solum novo beat;  
Noctis dat ignem cursui,  
Artusque nos facit sui.
5. Verus Iehovæ Filius,  
Orbi fit hospes; anxius  
Nos, erutos ignobili,  
Ditare sorte nobili.
6. Humum revisit indigus,  
Nos ut, salutis prodigus,  
Poli bearet arcibus,  
Et angelorum dotibus.
7. Id omne Nobis præstitit,  
Amore clarus extitit:  
Hinc tota gaudet Christianas,  
Illique fundit gratias.

19. *De Novo Anno Gen. 13, Pat. Hor.*  
*Ex lib. Epodoni ad*  
*ult.*

Chri-



Christe. Majestatis Apex tremendæ:

Lucidū. Coeli decus: O Colende Sēper: Hoc

an no da to, quæ precamur, Ne pe-

rimamur.

2. Quod prophetarum monuere versus,  
Criminum purus putus atque tersus,  
Natus es Nobis, opifex Dynasta,  
Virgine castâ.
3. Alme Sol ô justitiæ, supernâ  
Luce nos Verbi, miseros gubernâ:  
Et Sacramento fer utrique lætâ.  
Fronde, viretâ.

4. Læ-

hri-



64      P R E C A T I O N E S   E T   H Y M N I

4. Lenis humanos aperito partus;  
Omnibus, tu namque Creator, artus  
Ipse das, ornas cute, carne, mente,  
Osse, vigente.
5. Iunge productam sobolem sacratiss;  
Prospera rebus thalamum probatis:  
Cum viro sanctâ, sonet, impedita  
Lege marita:
6. Certus incertæ fragilesque sortis,  
E Poli Dextra, bona prome, portis  
Ter die claro, totiesque gratâ  
Nocte, vocatâ.
7. Cumque nos mortis feriet verutum,  
(Quod semel cunctis fieri statutum)  
Principi finisque dator, beata  
Suggere fata.
8. Fertilis frugum pecorisque terra  
Spiceâ donet vacuos acerrâ:  
Fratibus profint & aqua cupitis,  
Aurâque mitis.
9. Condito, lenis placidusque telo,  
Supplicès audi radiante Cœlo:  
Scandali densum lolium revelle,  
Daemona pelle.
10. Si tuum (ceu est) opus est Homullus,  
Si tuis alis placet iste pullus,  
Sit pari passu, Patre te Creatus,  
Te recreatus.
11. Nam reo flexit Genitoris iram,  
Gratiam, pacem retulitque miram,  
Liberum munivit iterque rursus,  
Mors tua fursus!
12. Tu probos mores docili juventæ,  
Tu senectuti, fluida repentè

Tu,




- Tu, malis, turmæ dato Christianæ,  
Tempus inane.
13. Quinque nos vitâ facieque spurca  
Funditus tentat rapuisse Turca,  
Occidat, frustra minitans pharetris  
Lanceque tetris.
14. Iam mari terraque manus potentes,  
Deditis cœlo mala molientes,  
In iuis, pleno, crucientur oris,  
Corde timoris.
15. Iam fides, & pax, & honor pudorque  
Priscus, ubertim redeat, nitorque  
Ille virtutum, quibus est polorum  
Plasma decorum.
16. Christias, vitæ fideique pura  
Se, gemat, Cœli violasse jura:  
Sit tibi concors, in eaque parcus  
Ensis & arcus.
17. Cæsar & Reges, proceresque cuncti  
Sede, sinceris animisque juncti,  
Ad tuas laudes, pietate venient,  
Nosque gubernent.
18. Quique Tarpæjum tenet Antichristus,  
Ne gravet, quod vinxit amore Christus,  
Cedat, hoc anno, monitus recenti,  
Vera docenti.
19. Hæc Iovani sentire die suborto,  
Spem bonam certamque domum reporto,  
Omnibus, gnarus Domini favoris,  
Firmiter horis.

20. De Passione CHRISTI.  
Gen. 6.

Bea-

Tu,





Be ata Chri sti Passio Sit nostra



li be ratio. Aperta fint cœlestia



Nobis, per Illam, gaudia!

2. Christo Monarchæ gloria  
In secla fit perennia;  
Tradens suum qui Spiritum,  
Salvavit orbem perditum.

21. Tempore Paschali.



Vi ta Sanctorum, decus An ge lo-



rum vi ta cunctorum pa ri ter

pio-





piorum, Christe qui mor tis mo-



ri ens mi ni strum, Ex upe-



ra sti.

2. Tu tuo lætos famulos trophæo,  
Nunc in his serva placidis diebus,  
In quibus sanctum celebratur omnem  
Pascha per orbem.

3. Pascha, quo victor rediens ab Imo,  
Atque cum multis aliis resurgens,  
Ipse susceptam super alta carnem  
Astra levasti.

4. Nunc in excelsis Dominus refulgens,  
Et supra cœlos Deus elevatus;  
Inde venturus homo iudicatus  
Denuo Iudex.

5. Corda tu sursum modo nostra tolle,  
Quo Patri dexter resides in alto,  
Ne resurgentes facias in ima  
Præcipitari.

6. Hoc









3. Peccata, mors, Dæmon, polique munera,  
 Hærent sub ejus dextera:  
 Potestque vultque sublevare fortiter,  
 Sese colentes puriter.


23. De Ascensione Christi Gen. 8. Parodia Ho-  
 rat. lib. 1. od. 31.




Quid elevatum, poscit Homuncio



Fratrè? quid orat, Solis in atrio Dextræ Pa-



rentis assidentem? Omneq; ferre bonum,



potentem?

2. Non æstuosæ grata Calabria  
 Armenta; gemmas, aut ebur India,

Non

ec-




Non rura ; non domos opimas  
Sardiniaë segetesvè primas.

3. Premant Calenâ falce, quibus dedit  
Vineta Princeps ? qui decus exedit  
Turbæ fidelis, esto turget :  
Armaque dote refertus urget !


4. Clarus triumpho ? Si ter & amplius,  
Iesu colendo, calcitret acrius ?  
Divina doctus aucupari  
Regnet, ametque Deus vocari !

5. Frui sacrato, da mihi Flammine,  
Da Christe præsens ; te, quid agam sine ?  
Tuere corpus atque mentem,  
Teque tuoque sono , vigentem.


24. *De Spiritu Sancto. Gen. 19.*



O Sancte Spiritus, veni ! Solatium




Te fervide poscentibus : Reple tuorum



pectus, ô fi de li um Bonis bono-  
rum






2. Amoris accendas in illis flammulas,  
In unitatem luminis:  
Disquisipatas, per loquendi formulas,  
Gentes recolligi finis.
3. Virtus tibi, laus & perennis gloria  
Sit, o benigne Spiritus.  
In omnibus qui solus imples omnia,  
Impleto nos communitus!

25. De S. Trinitate. Gen. 6.



O Lux Be ata Trinitas, Et Princi-



palis unitas, Iam Solabit, poscentibus



Infunde lumen cordibus.

L. IV. P. p.

Dddd

2. Te

o-  
rum






2. Te mane laudum munere,  
Te prosequamur vespere:  
Te nostra supplex vocula  
Per cuncta laudet secula.

3. Deo Patri sit gloria,  
Sit Filioque propria,  
Nec non sacrato Flamini,  
Vni colendo numini. Amen.


26. *Sequuntur alii Hymni Lectione finita.*  
*Gen. 18.*



Benedictus sit, benedictus, Dominus



Deus & Pater; ictus Qui Dæmonis usque




refringit, Ope qui nos divite cingit.

2. Sacrosancta volumina vatum,  
Evangeliumque renatum,  
Artesque librosque venustos  
Tegit, ampliat, hic ibi, Custos.



3. Ut in hac etiam sumus hora,  
Meditati pensa decora,  
Summeque salubria vitæ,  
Duce Christo, ducta peritè!
4. Faxit Deus optimus ille,  
Labor hic ut commoda mille  
Nobisque studentibus edat,  
Cunctisque bonis bene cedat.
5. Iesu liber optime vitæ,  
Agitur nil, te sine, ritè:  
Studiis sic semper adesto,  
Oculis liber obvius esto.
6. Meditata juvamine dulci,  
Auditaque lectaque fulci:  
Labor alta mente reponat,  
Quicquid proba pagina donat.
7. Rectum rege; corrige sphalma,  
Ope, nostri pectoris, almâ,  
Isthoc titubantis in ævo  
Mala sæpeprehendere lævo,
8. Tandem tua luce referta  
Academia, fac, sit aperta  
Nobis, Deus alme; iuvamen  
Scimus dabis hoc celer. Amen.

27. *Gratiarum actio pro beneficiis.*



Dddd 2

Na-

3. Ve





Naturæ sator, omniumque rerum,  
 Felix conditor architecte mundi:  
 Quas, quæso, tibi filioque Christo  
 Æterno simul & simul potenti,  
 Grates vilis homillus ac missellus  
 Agam? pro meritis tot atque tantis,  
 Ingratum quibus hætenus benignè  
 Majestas tua gloriosa semper  
 Adfecit; bona mi quotidianos  
 Necessaria largiens in usus,  
 Et quæ nec precibus nec ante votis  
 Abs te ne semel, heu! quidem petivi,  
 Indignissimus omnium, quot aurâ  
 Vescuntur: Quid enim, quid ô Iehova  
 Sum, terræ nisi gleba, quæ putrescens  
 Momento in cinerem brevi resolvar,  
 Magnas divitias opesque multas,  
 Quis plerique pecuniæ studentes  
 Per fas perque inhiant nefas avari,  
 Non desiderio possidere Pestes  
 Hæ perdunt animam: furens habendi  
 Ardor perniciem ciet salutem.


Si porro maneat salubre corpus  
 Cum vita incolumi; sat ipse dives  
 Ero, sat locuples. Opum hic abunde est:  
 Nil mortalibus optimum perinde,  
 Nil unquam magis prosperum dedisti,  
 Ac dulcissima dona sanitatis.

Saltem fac Pater, ut (quod oro supplex)  
 Ne vestigia semitæ relinquam,  
 Præmonstrata sacri tenore verbi;  
 Ad dextram neque me ad sinistram  
 Adversos agat error in recessus,  
 Intricatus & execrandus error:  
 Sed cœleste tuum tuique nati



Præfens numen ubique me gubernet,  
 Gressusque invalidos pedum labantum  
 Firmet; consolidetque, & expeditè  
 Metas dirigat ad viæ cupitas.  
 Tum vivam bene, tum satur dierum,  
 Ævi curriculo mei peracto,  
 Tandem fine bono senex quiescam.

28. Pro Benefactoribus.



Acer es osor in hos, quibus est ingrata voluntas,  
 Vltor es & vindex, in mala quæque Deus.  
 En ingratus homo, quasi fusilis unda liquefcit;  
 Instar erit ceræ quæ liquefacta perit.  
 Qualis abit fluvius, solitoque recedit ab alvo:  
 Talis in ingratum vis, Deus, esse virum!  
 Pronus adora tuum numen, Pater, effice præscam  
 Ut charin agnoscens gratus ubique siem.

Dddd ;

Fos-


Præ-



Fœderis utque tui memor es, sic effice pacti  
 Ut quoque sim memor, ac in pietate tenax.  
 Sunt hic sunt alibi, quibus est referenda vicissim  
 Gratia, pro studio, proque labore, Pater.  
 Ut Pater ex quo defluimus, sua portat & aufert  
 Præmia: sic eadem Gymnasiarchus avet.  
 Ast ego cum nequeam benefacta rependere tan-  
 ta

Ubertim pro me tute repende vices.  
 Effice, si mihi defuerint pro tempore vires,  
 Ut fluat è grato corde, quod intus alo.  
 Dirige me, ne sim caudex, vel inutilis arbor,  
 Ocyus ardenti subijcienda foco.  
 Sic magis exemplo mihi, tu typus esto quod unâ  
 Et pare sorte malos, Christe bonosque beas.  
 Eia fac, ut mihi sit typus hic imitabilis, unde  
 Christias appositè dicar ovisque Dei.

29. Pro sustentatione corporis.



Laus honor & virtus merito debetur in ævum,  
 Iova, tibi nullo deperitura die.  
 Solus es, à teneris genitricis ab ubere raptum  
 Qui dape, qui potu, velteque memet alis.

Ec-



Ecquid homo, nisi bulla natans, nisi fabula, sumus:

Vita quid illius est? pulvis & umbra fugax.  
 Nudus is infecta generascit & exit ab alvo  
 Matris, arenosa dum tumuletur humo.  
 Tu tamen interea, ter maxime, Iova, per ævum  
 Omne manes, cunctis antefendus heris.  
 Mira Dei sunt facta: quis illa recenseat? immo  
 Vis hæc à serâ posteritate legi  
 Da, precor, ut posthac itidem mihi vivere vitam,  
 Hancque satur possim claudere fine bono.  
 Nullibi fac egeam potu, dape, veste, vel ipse  
 Scis opus esse, quoad vivitur hocce modo.  
 Adde, quod è proprio sibi nemo vigore vel arte,  
 Tu nisi quid dederis, Iova parare potest.  
 Quicquid agit vitam, petit apto tempore victum  
 Pande manum saturans id locuplete penu.  
 Crapula mordaci curæ conjuncta faceflat,  
 Destructorque boni Mammon, amara lues.  
 Corporis ac animæ tibi cura sit hujus in ævum,  
 A te quippe salus non aliunde venit.

30. Deprecatio pro aversione malorum.

Aufer immensam Deus aufer iram, Et cru

entatum cohibe flagellū, Nec scelus nostrū prope

Dddd 4

pe





Peres ad aquam, Pendere lancem.

Si luant justam mala nostra poenam,  
 Quis potest saevas tolerare plagas?  
 Cum nec ultricem spatiosa ferret  
 Machina virgam.

Parce sed nostris miserando culpis,  
 Ius pari clemens pietate miscens,  
 Cui manet semper proprium maligno  
 parcere Mundo.

Cur super vermes luteos furorem  
 Sumis o magni fabricator orbis?  
 Quid sumus? quam fex, putris umbra, pulvis  
 Glebaque terræ.

Nos parentalis maculat reatus,  
 Et caro mentem trahit imbecillem:  
 Ergo tam sortem facilem benigno  
 Respice vultu.


Da crucem, clavos, scuticam, coronam,  
 Lanceam, funes, rigidamque mortem,  
 Inter iratam moderare dextram,  
 Et mala nostra.

Non opus summi pereat Magistri,  
 Nec finas cassam fore passionem;  
 Corde sed manans lavet omne crimen.  
 Sanguis & unda.


Hoc ratum quo sit facias precamur,  
 Omnibus nobis residens olympo,  
 Qui Deus semper dominaris orbi  
 Trinus & unus.



31. In cruce & afflictionibus. Gen. 9.



Quo usque mi Iesu; terar? Quousq; mi Ie-



su, querar? Te Christe vivo, maxime, Ac optime.

2. An esse desii tuus,  
Quod nuto semimortuus?  
Turborque tetre stridulis  
Periculis?
3. Exsanguis allabor mori  
Meique seminex tori  
Substrata; fædo grandibus  
Fætoribus.
4. Quid multa? mortis me plagæ,  
Per orbis ambitum vagæ,  
Quassant prehensum fortiter,  
Severiter.
5. Isthæc videre te scio  
Nam cuncta Rex omniscio  
Nutu gubernas, & regis,  
Et protegis.
6. Vtcunque vultu turbido,  
Mihi repugnas morbido,  
Me, spero, postquam corriges  
Exporriges.
7. Sic sæpe nos amplecteris,  
Dddd §

I. In

VI-



Ulnisque sic presse geris,  
 Ut flatui non sint moræ,  
 In corpore.

8. Sed esto; semper es Pater,  
 Dulcis, bonus, ter & quater,  
 Et nos in ulnis cum geris,  
 Et cum feris.

9. Augusta qui desiderat  
 Angusta multa sufferat,  
 Peratque per fastidia,  
 Fastigia.

10. Hic esto, torvus me seres,  
 Quin imo prorsus me neces,  
 Durabo, spe nifus piè,  
 Quavis die.

11. Ferire quam diu placet,  
 Feri, Parata mens tacet,  
 Neque tulisse tædia,  
 Ut gaudia.

12. Tu cor dolore conficis,  
 Roburque rursus sufficis;  
 Tu cor dolore vulneras,  
 Tu liberas.

13. Humana quando vis perit  
 Divina semet exserit  
 Votisque claret latius,  
 Et gratius.

14. Te nitor uno firmiter,  
 Fidelis es fideliter  
 Hoc, ut ferendo sim, bonus,  
 Reges, onus.

15. Cœlum solumque corruet  
 Igni solum defluet;  
 Non præteribit vox tua  
 Dulciflua.

16. Es vita, veritas, vis,

Am.



**APODEMICI.**

88

Ah, verbulum dic; omnia  
Fient, Redemptor unice,  
Te vindice.

32. In Morbo Geneseos 6.



Rex, Christe Iesu, maxime, Homo Deus



verissime; Afflicte, pro me, vi truce,



Pro meque caese dein cruce.

2. Per ista, quaeso, funera  
Muni tua me dextera:  
Cum vita mortem, non sine  
Magno premet certamine:
3. Cristallus orbes luminis,  
Adfatus aures agminis,  
Et pulmo lingvam, deserent,  
Angustiaeque cor terent:
4. Tandemque mens cum, non sua,  
Vi comprimetur ardua.  
Hic miles interaneus.  
Hic sis mihi dux, o Deus.

Dddd 6

S. E.

AA.




5. E valle me duc anxia,  
 Pacifluæ mortis viâ,  
 Orci dracones amove,  
 Flatuque me tuo fove.
6. Quando voles, facem trahe  
 Vitæ, sinus in Abrahæ;  
 Humi cubet corpusculum  
 Ad ultimum crepusculum.
7. Latè mihi da surgere,  
 Reumque clemens assere,  
 Et junge sanctis, immemor,  
 Æternæ scelestæ, qua premor.
8. Quæ fundis ore lacteo,  
 Verbis tuis inhæreo;  
 Amen loquor veraciter,  
 Me diligente firmiter:
9. Propter tribunal non tremet,  
 Mors acris illum non premet,  
 Solo fit immistus, licet,  
 Est, qui decenter explicet.
10. Ergo paternæ dexteræ  
 Confors, eum de pulvere,  
 Imo potenter egeram,  
 Polique castris inferam.
11. Huic insitus consortio,  
 Fruetur usque gaudio:  
 Id fiat, & Iesu, cito,  
 Eoque nos perducito.
12. Peccata mitis ablue,  
 Fulcro spei sis cernuæ,  
 Mens donec intret leniter,  
 Mortis, tui tenax, iter.

33. Pro Egrotis.

Ad





Ad te confugio, Christe, petens opem,  
 Quærens auxilium, quorsum alias eam?  
 Quorsum lumina vertam,  
 Ad sedem nisi gratiæ?  
 Cum terra in Solyimorum advena degeres,  
 Atque Evangelii jus homines, homo  
 Factus, rite doceres,  
 Morborum genus omne tu.  
 Curasti, omne genus tu male habentium  
 Sanasti, & penitus vivere desitos.  
 In lucem ipse reduxti,  
 Dira morte potentior.  
 O & me famulum, & discipulum tuum,  
 Vexatum variis torminibus diu,  
 Sana, Christe, tuoque  
 Me serua medicamine!

Ad

Dddd 7

¶




84 *PRECATIONES ET HYMNI*

Si quondam ægra cohors ausa fuit tuam  
Palmâ vel modicum tangere fimbriam ;  
Cur non te prece mentis  
Ausim attingere langvidus ?  
Sensere illi ut opem, sentiam & ipse opem,  
Si vitam modo vis mi diuturnius  
Indulgere trahendam  
Hoc in carcere corporis.  
Sin autem placidâ fax moriar, tuum  
Membrum, quod subito luce novissima  
Vili è pulvere terræ  
Exporrectum animaveris.  
Et cœli redivivum arce locaveris,  
Quo spectant oculi mensque fidelium  
Omnis : Namque ubi tu sis,  
Vis sint, & famuli tui.

32. *Gratiarum actio, pro sanitate recuperata.*  
*Gen. 9.*



Dixi (recordor) lassalus, Crucisq; longæ



bajulus; Adjutus occinam Deo, Patri meo.

2. *Isthæ favoris Ilias*  
*Fugare moles anxius,*  
*Quæ sic mihi cordi fuit*  
*lam refluit.*

3. *Es-*



3. Exsangve vitæ vasculum,  
Roburprehendit masculum;  
Et sanitatis munera;

Et cætera.

4. Nam cuncta quis recenseat?  
Aut cogitare quis queat,  
Quæ Iova præstat cordibus.  
Fidentibus?

5. Tibi Pater sit gloria,  
Qui carnis ausa turpia,  
Strictim, cruces per asperas,  
Expulveras.

6. Ex ore qui lactentium,  
Semesa proferentium,  
Amas, amabis quæ pio  
Cantu scio.

35. *Hymnus pœnitentialis.*

Rex tremendæ majestatis, Qui salvandos

salvas gratias. Salva me fons pietatis,

2. Recordare Iesu pie,  
Quod sim causa tuæ viæ,  
Ne me perdas illa die.

3. Quærens me sedisti lassus,  
Redemisti cruce passus,

Tan-

Ex-



- Tantus labor ne fit cassus.
4. Iuste iudex ultionis,  
Donum fac remissionis,  
Ante diem rationis.
5. Ingemisco vere reus,  
Culpa rubet vultus meus,  
Supplicanti parce Deus.
6. Qui Mariam absolvisti,  
Qui latronem exaudisti,  
Mihī quoque spem dedisti.
7. Preces meæ non sunt dignæ;  
Sed tu bone fac benigne  
Ne perenni cremer igne.
8. Inter oves locum præsta,  
Et ab hædis me sequestra,  
Statuens me parte dextra.
9. Confutatis maledictis,  
Flammis acribus addictis,  
Voca me cum benedictis.
10. Ut consors beatitatis,  
Vivam cum justificatis  
In ævum æternitatis.
11. Oro supplex & acclivis,  
Cor contritum quasi cinis,  
Gere curam mei finis.

36. *De extremo Iudicio.*

Quæso, anima fidelis, Ah quid respon-  
dere





dere velis, Christo venturo de coelis.

2. Cum à te poscet rationem.  
Ob Boni omissionem,  
Et Mali commissionem.
3. Dies illa, dies iræ,  
Quam conemur pravenire,  
Obviamque Deo ire.
4. Seria contritione,  
Gratiæ prehensione,  
Viræ emendatione.
5. Dies iræ, dies illa,  
Solvat seclum in favilla,  
Testo David cum Sibylla.
6. Quantus tremor est futurus!  
Quando iudex est venturus,  
Cuncta stricta discussurus!
7. Turba mirum spargens sonum,  
Per sepulchra regionum,  
Coget omnes ante thronum.
8. Mors stupebit & natura,  
Cura resurget creatura,  
Iudicanti responsura.
9. Liber scriptus proferetur,  
In quo totum continetur,  
Vnde mundus iudicetur.
10. Iudex ergo cum sedebit,  
Quicquid latet apparebit,  
Nil multum remanebit.
11. Quid sum miser tum dicturus?  
Quem patronum regaturus?

Cum



88      **PRECATIONES ET HYMNI**

Cum nec justus fit securus!

37. *Disticha, quibus certis horis animus ad pietatem excitari potest.*

*Mane surgentis.*

Gratia, Christe, tibi placidi pro munere somni;  
Curriculum vitæ dirige, quaeso, meæ.

*Lavantis.*

Christe cutis sordes nitidis ut tergimus undis,  
Sic animæ foedam sanguine terge luem.

*Sole exoriente.*

Iustitiæ Sol Christe, animis illabere nostris,  
Pigraque vivifico corda calore fove.

*Cibum sumturi.*

Christe cibo fragili veterem ceu pascis Adamum;  
Sic hominem vitæ pane cibato novum.

*Post cibum sumtum.*

Vis nova ceu membris epularum munere venit;  
Sic animæ accedat, gratia Christe recens.

*Post Solis occasum.*

Lumen abest Phœbi; Lux immortalis adesto,  
Perpetuam postris cordibus inde diem.

*Cubitum euntis.*

Christe soporato dulcem largire quietem,  
Et remove tristis spectra melancholiæ.

*Quolibet tempore.*

Nos tegat Angelicum, ceu murus aheneus, agmē,  
Ne Satanas nobis, Christe, nocere queat.

*Item.*

Iesu Christe, mei cordis te prædico Lumen:  
Oris te Flumen: te manuum Columen.

*Item.*

Legis utramque tuæ Deus ô ter sancte tabellam,  
Fac speculum vitæ, jugiter esse meæ.

*Item.*

Quid, mea mens, horres, opib<sup>9</sup> non afflua mundi,  
Semper dat Domini, non habet ergo minus.

*In-*





## INDEX

## HYMNORUM.

1. *Hymn. matut.*  
 1. Aurora jam spargit polum,  
   2. *Hymn. mat.*  
 2. Nox vaga cessit  
   3. *Hymn. mat.*  
 3. In nomine Domini.  
   1. *Hymn. Vesp.*  
 4. Christe, qui lux es & dies.  
   2. *Hymn. Vesp.*  
 5. Te lucis ante terminum.  
   2. *Hymn. Vesp.*  
 6. Vergente Solis orbita  
   *Oratio Domin.*  
 7. Pater in caelis Deum omnium.  
   1. *Pro felici successu itineris.*  
 8. Nunc iter ingredior nunc poscor abire viator.  
   2. *Pro felici itinere*  
 9. Iter paro, quod exigit necessitas.  
   3. *Pro itinere continuando.*  
 10. Adesto ductor atque doctor optime.  
   4. *Pro itinere faciente.*  
 11. Tuæ Iehova, patriæ commendo me custodiæ.  
   *Quotidianus hymn. Studiosi.*  
 12. Sic Dei clemens quia fert voluntas.  
   1. *Oratio Dominica.*  
 13. Parens pie, in æthere.

2. *Oratio.*



- Oratio Dom.*  
 14. Colare, sancte Rex pie.  
*Ante cibum.*  
 15. Edenda quinque millibus.  
*Post cibum.*  
 16. Alti bonis aſurgimus.  
*Tempore tempeſtuoſo.*  
 17. Iehova, majestatis invictissime.  
*In Natali Domini.*  
 18. Iesu tibi fit gloria.  
*De novo anno.*  
 19. Christe majestatis apex tremenda.  
*D. Pass. Chr.*  
 20. Beata Christi passio.  
*Tempore Paschali.*  
 21. Vita Sanctorum.  
*De resurr. Chr.*  
 22. Iesu triumphat, victor evax.  
*De ascens. Chr.*  
 23. Quid elevarum, poscit homuncio fratrem.  
*De Spiritu S.*  
 24. O S. Spiritus veni!  
*De S. Trin.*  
 25. O lux beata Trinitas.  
*Lectioe finita.*  
 26. Benedictus sit, benedictus Dominus.  
*Gratiarum actio pro beneficiis.*  
 27. Naturæ sator, omniumque rerum  
*Pro benefactoribus.*  
 28. Acer es osor in hos, quibus est ingrata voluntas  
*Pro sustentatione corporis.*  
 29. Laus, honor & virtus merito debetur in æv.  
*Pro averſione malorum.*  
 30. Aufer immensam Deus aufer iram.  
*In cruce ab afflictionibus.*



INDEX.

91

31. Quo usque mi Iesu, terar ?  
*In morbo.*
32. Rex, Christe Iesu, maxime:  
*Pro egroto.*
33. Ad te confugio, Christi, petens opem.  
*Pro sanitate recuperata.*
34. Dixi (recordor) lassulus  
*Hymni pœnitentialis.*
35. Rex tremendæ majestatis.  
*De extremo judicio.*
36. Quæso anima fidelis.  
*Disticha varia.*
- 37.


F I N I S.




ntas

quo

















Yng II 221


Wort

Yng II









BIBLIOTHECÆ 4

&  
CYNOSURÆ

Peregrinantium,

LIBER QUARTUS

& Ultimus

*Partis Posterioris,*

in quo

Primum Precationes, deinde

Hymni Apodemici conti-  
nentur,

à

DAVIDE FROELICHIO,

Sac. Cæs. Rq; Majest. per Regnum  
Hungariæ Mathematico.

1690

VLMÆ,

Impensis VVOLFGANGI ENDTERI,  
*Exscripsit literis BALTHASAR Kühnel*  
*Reipubl. ibid. Typographus.*

ANNO M, DC. XXXIV.

